

4
JACOBI CHMEL

COENOBII BRZEVNOVIENSIS O. S. B.

ABBATIS

APOLOGIA

SINGULARIS

ORTHODOXÆ CATHOLICÆQUE
DOCTRINÆ

DE

MORALI HOMINIS IMPOTENTIA
SOLIS NATURÆ VITIATÆ VIRIBUS SER-
VANDI LEGEM DEI NATURALEM, ET PEC-
CATA DEVITANDI SINE EFFICACI AUXILIO
MEDICINALIS GRATIÆ CHRISTI.

ADVERSUS

NOVOS DIVINÆ GRATIÆ INIMICOS, QUI
INCAUTIS NOVAS SEMPER PONUNT
TENDICULAS, S. AUGUST.

Duo illa: quid natura ex Adamo contracta possit? quid
gratia per Christum operetur in nobis? totius Christianæ fidei
fundamenta sunt. S. Aug.

P R A G Æ,
APUD GASPARUM WIDTMANN. 1794.

Nemo in hoc mundo esse potest sine peccato. S. Ambr.

Quamdiu ille finis adveniat, necesse est nos subiacere peccato. S. Hieronym.

Vita justorum esse non potest sine peccato. S. Aug.

In hac vita nullus esse sine peccatis valet. S. Gregor. M.

Igitur,

Quamdiu hoc fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus. Anonymus de Imitat. Chr.

Unde ergo in hanc austeritatem supercilium se tetricæ frontis armavit, ut - - insidiosus scrutator - magnum se aliquid conficere præsumat, si catholico Scriptori notam erroris affigat? Quasi incognitum aliquod opus, & quod hætenus latuerit, impetatur; ac non illa his morsibus doctrina lanietur, que hæreticorum commenta disjecit, & tumorem Pelagianæ elationis elisit. S. Prosper L. adversus Collat.

Deinde

Si quis etiam legem viribus suis putat implere, non per gratiam Liberatoris sui, nihil ei prodest ista præsumptio: imo etiam tantum nocet, ut & vehementiori peccandi desiderio rapiatur. & in peccatis etiam prævaricator inveniat. S. Aug.

Proinde

Melius Dei causa agitur, dum & Creator, & Salvator agnoscitur; quam si defensa velut sana, viribusque integris creatura, opitulatio Salvatoris inanitur. Idem

Igitur

Quicumque dogmatizat - - humanam sibi ad vincenda peccata, & mandata Dei facienda sufficere posse naturam - - anathema sit. Synod. Carthagin. Ep. ad Innocentium Pp. 1.




APOLOGIÆ SUMMARIÆ CAPITUM.

CAPUT I. *J*ustæ multorum querelæ ob incon-
sultas catholici cujusdam Jurisconsulti cen-
suras, celeberrimo de imitatione Christi
Anonymo propter doctrinam cum dogmate
catholico prorsus analogam justo licentius
inflictas. Inde natum auctori consilium
opposita Apologia consulendi & famæ viri
Ascetarum præstantissimi, & per latus
ejus perperam laceffitæ catholicæ veritati.
Censoris intentio a malæ fidei suspitione,
aut deliberatæ prolapsionis invidia libe-
ratur. Nil tamen suppetit, quod excu-
sandæ ejus censuræ suffragetur. . . .

Pag.

5



CAP. II. *Ad geminam naturae legem, usum corporalium necessitatum moderantem haud advertisse animum Ascetarum facile Principem, eumque propterea inconvenienter fuisse locutum, ex ejus dictorum pericope perperam arguit Cl. Jctus, praecipui hermeneuticae canonis aut ignarus, aut incurius.*

17

CAP. III. *Ab inconsulta erroris censura vindicatur Ascetae doctrina de hominis impotentia vitandi peccata, ex hujus cum dogmate catholico a praecipuis Ecclesiae Patribus, & Doctoribus tradito, & in Synodo Trid. definito analogia, ac conformitate. Ob solum defectum sufficientis ad hanc analogiam attentionis excusandus catholici Jcti inconsultus error.* . . .

24

CAP. IV. *Haud excusando dogmatis errore laborat Cl. Jcti doctrina de virium naturalium absque medicinali Christi gratia ad legis naturalis observationem, & deviationem peccati sufficientia. Hoc doctrinae caput repullulans Pelagiani erroris surculus est, a S. Augustino, & a Palaestinae, & Africae Episcopis synodaliter damnatus, si ad vitiatam hominis naturam referatur. Ad hanc vero respexisse Cl. Jctum dubitare non fuit subjecta in Anonymum censura. Quod magis elucet ex suis Soliloquiis metricis nuper editis, ubi ab impunita Pelagianae haereseos nota thesim suam vindicaturus, in geminum facti sc. & dogmatis errorem incautus impegit.* . . .

36

CAP.

CAP. V. *Impotentiam non peccandi, et legem Dei servandi SS. Patres derivant ex corruptione naturæ ex Adamo contractæ. Quæ quam enormis sit? ex prædominante in vitia propensione, ceterisque, quas experimur, humanæ vitæ miseriis a S. Augustino descriptis liquet. Hanc corruptionem etiam ethnici Philosophi agnoverunt, sed hujus fontem frustra quæsiverunt. Exinde orta opinionum absurditate ac discrepantia SS. Patres argumentum sumebant pro veritate Religionis christianæ, quæ hujus corruptionis fontem, nempe peccatum originale detexit. Hujus existentiam S. Augustinus contra Pelagianos, etiam seposita Scripturarum auctoritate, ex præsentis vitæ ærumnis, quas ad nativam hominis conditionem referri non posse gentiles Philosophi agnoverunt, recte ostendit.*

51


CAP. VI. *Naturales bene operandi vires in natura lapsa non fuisse diminutas, sed integras remansisse, novitia est, & veterum persuasioni contraria quorundam Scholasticorum Theologorum opinio. De hujus divinitate, ac universalitate, vana & falsa quorundam jactantia. Eam potius alii ceu monstrum, & rediviivi Pelagianismi fundamentum haud temere suspiciunt: quia medicinalem Christi gratiam a statu corruptæ naturæ removet, & manifeste repugnat doctrinæ SS. Patrum, Conciliorumque decretis. Horum præposterae interpretationes explosæ. Inde conficitur hominem in statu corruptionis retinuisse qui-*



*dem vires naturales cognoscendis & exe-
quendis virtutum naturalium officiis, seu
juris naturalis obligationibus physice pro-
portionatas; sed tamen admodum imbecil-
les, & ob conjunctam moralem bene agen-
di impotentiam in pluribus inefficaces.* .


CAP. VII. *Quam cautos nos esse oporteat in
determinandis gratiæ & naturæ viribus.
Discrimen inter vires hominis physicas &
morales, nec non physicam & moralem
agendi impotentiam. Hujus distinctionis
utilitas, & notiones. Impotentia moralis
notio cum populari sermone, & communi
veterum Theologorum loquendi modo con-
sentit. Quæ moraliter impossibilia dicun-
tur eadem nunquam existitura, esto existe-
re absolute possint; eruitur ex S. Scriptu-
ra, ex Synodo Trid. & S. Augustino. Id
ipsum confirmat veterum Theologorum con-
sensus, & obvia in civilibus exempla. Mo-
ralis bene agendi impotentia tollitur sola
motione gratiæ efficacis, quam impedire
nihil potest, quo minus salva hominis liber-
tate suum semper effectum obtineat.* . .

CAP. VIII. *Necessitatem aut impotentiam mo-
ralem optime cum libertate constare osten-
ditur ex SS. Thoma, Bernardo, & præci-
pue ex Augustino. Is quum liberum ar-
bitrium peccato deperditum ait, de illo so-
lum loquitur, quod habuit. Adam in para-
diso, immune a morali necessitate peccandi,
& a morali impotentia bene vivendi. U-
t, amque Adæ posthumis inesse salva arbi-
trii*




trii libertate docet aperte idem Augustinus, libertatem propterea voluntatis ab ejus potestate discernens, & hanc sola gratia Salvatoris recuperari ostendens. Hoc libertatis, potestatisque discrimen præ oculis semper habendum diligenter monet Richardus Victorinus. Cur istud identidem non observaverit Augustinus? ab æmulis suis excitata de æquilibrio libertatis disputatio suavit. Panditur genuinus sensus illius Augustinianæ phrasæ: quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est. Cur demum plerique recentiores Theologi a distinctione necessitatis, ac impotentiae moralis ac physicae in materia de gratia abhorreant, & quam immerito?

CAP. IX. *Ex jam supra proposita circa originalem naturæ depravationem Patrum doctrina manifestior redditur eorum hallucinatio, qui in definiendis liberi arbitrii viribus justo longius progressi sunt. Cl. Fictus hac in re sibi haud satis constans, Illius Thesis claudicat, de qualibet legem Dei servandi potentia eam interpreteris; imo modum loquendi continet a Patribus Africanis in Pelagio damnatum. Genuina demum humanæ infirmitatis notione carent, qui hominem lapsum ad physicam peccata vitandi, & legem naturalem servandi impotentiam redactum esse cum Tourneleyo male contendunt. Horum opinio ex jam stabilitis principiis refutatur.* . . . 109



CAP. X. *Admittenda porro etiam est in homine lapsa potentia physica ad quaslibet tentationes vincendas, si agatur de victoria, quæ præcise ad evitandum peccatum sufficiat. Quæ sententia a Pelagionismi nota liberatur. Tentationes graves potentia morali vinci sine gratia non posse ex solo honestatis naturalis motivo, constans est Ecclesiæ doctrina a SS. Patribus & Conciliis perspicue tradita. Cur quidam Patres victoriam omnium tentationum irrestrictè ex adiutorio Dei repetant? adcuratius explicatur. Prorsus a genuino Patrum sensu aberrant, qui eorum dicta ad solam victoriam vitæ æternæ meritoriam restringunt. Quibus non favent edita a nonnullis infidelibus vel hæreticis profanæ fortitudinis exempla. Quomodo gravis tentatio morale[m] male agendi necessitatem inducat? perspicue declaratur. Hæc necessitas non tollitur, nisi per gratiam efficacem, quæ facit plus delectare, quod lex præcipit, quam delectet, quod impedit. Hanc gratiam non quidem merito condignitatis, sed tamen precario obtinere, & suppliciter emereri possumus. Hunc in finem studium orationis assiduæ Scriptura, Patresque commendant.*

CAP. XI. *Ex Pelagiani erroris antithesi fitigitur genuinus præsentis controversiæ status, & oppositus orthodoxi dogmatis sensus de morali hominis impotentia servandi legem Dei naturalem, & peccata vitandi per solas naturæ vires sine medicinali gratia*




tia Christi determinatur. Praemissa notitia de divina circa reparationem humani generis œconomia secundum tripartitam temporum, statuumque distributionem a S. Augustino compendio traditam, sed ab Apostolo uberius explanatam, perspicue ostenditur, præsentem doctrinae articulum illis accensendum esse, qui nobis per immediatam revelationem ex Scripturis innotescunt; atque adeo etiam ante expressam Ecclesie determinationem divinæ fidei assensum a nobis exigunt. Vindiciæ S. Pauli adversus blasphemias insanientium quorundam sæculi nostri criticorum censuras, execrandasque apostolicæ illius doctrinae cavillationes.

CAP. XII. *Ejusdem doctrinae veritas in divinæ traditionis auctoritate fundatur. Cujus testes sunt SS. Patres, & Concilia adversus Pelagium habita, a Sede Apostolica approbata, totoque terrarum orbe recepta. Hanc veritatem confirmat constans Ecclesie consensus quoad doctrinam de morali hominis impotentia vincendi omnes hujus vitæ tentationes, divinique auxilii ad eas superandas necessitate; cujus doctrinae necessarium corollarium est articulus, de quo in præsens agitur, a Synodo Tridentina ex eodem principio verbis formaliter æquivalentibus definitus. Hunc porro Ecclesia ipso quoque facto comprobatur per preces publicas ab ea ordinatas, atque præscriptas.*


CAP. XIII. *Confirmando huic doctrinae articulo accedit argumentum ex quorundam præceptorum Juris naturalis gravi difficultate solis naturæ viribus nunquam superanda. Hæc inter pertinent præcepta: de non concupiscendo: de dilectione inimicorum: & præcipue de diligendo Deo super omnia, ut auctore naturæ. Hoc cumprimis ob nimiam ad bona privata adhesionem sine gratia impleri potentia naturali non posse docent SS. Bernardus, & Thomas, ante hos vero Concilii Arausicani Patres; novissime autem Synodus Tridentina definiens: sine gratia Deum diligere non posse sicut oportet. Deum diligere sicut oportet, quum ut auctor naturæ super omnia diligitur; ex primo Symboli apostolici articulo, & ex S. Augustino ostenditur. Hanc Dei dilectionem in presenti statu proxime, vel remote ad justificationem hominem disponere ex præmissis quibusdam consuetudinibus conficitur. Inde instauratur argumentum ex Synodo Arausicana & Tridentina de promptum.*

CAP. XIV. *Occurritur nonnullis exceptionibus contra hactenus stabilitam Ecclesiæ doctrinam. Exceptio 1) qua obtenditur allata hucusque auctoritatis & rationis argumenta interpretanda esse de impotentia naturæ ad servanda omnia naturalis æque, ac supernaturalis ordinis præcepta; vel ad ea observanda quoad modum simul, non autem quoad solam substantiam. His vanis effugiis via præcluditur; quibus non favet*



favet textus Apostoli ad Rom. 2. de quibuslibet infidelibus naturaliter ea, quæ legibus sunt, facientibus intelligatur. Exceptio 2) ex contraria veterum Scholasticorum opinione diluitur. Ab hac vindicatur S. Thomas. Reliquorum Scholasticorum auctoritas elevatur, præcipue ex opposita communi ceterorum Theologorum doctrina. 182

CAP. XV. *Exceptio 3) ex Theologorum circa determinandam præsentis dogmatis qualitatem dissensione, & præterita immediatæ revelationis incertitudine, in ordine ad præsentem doctrinæ articulum a veritatibus fide divina credendis eximendum. Hujus occasione plura, eaque singularia notantur ad rectam veritatum fidei notionem scitu eo magis necessaria, quo pluribus fors incomperta, uti: de vario fidei veritatum genere — de certitudine revelationis definiendis fidei veritatibus prærequisita; — de duplici genere articulorum fidei: — de discrimine inter fidei articulum, & ejus definitionem: — de Veroniana fidei catholicæ regula. Inde demum conficitur præsens doctrinæ caput veritatibus fidei catholicæ accensendum esse. Cui nihil officit memorata Theologorum dissensio. Horum potius unanimis in agnoscenda hujus dogmatis veritate consensus oppositam *f. Cti Thesim* manifesti erroris convincit, & in censurandis orthodoxæ doctrinæ assertoribus nimiam arguit dictatoriæ auctoritatis licen-*



licentium, eique demum palinodia canendæ necessitatem imponit. 193


CAP. XVI. *Evertitur demum exceptio singularis ex pervulgato, sed a pluribus male intellecto axiomate theologico: facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam. Hujus abusus pro adstruenda quorundam infidelium salute etiam apud Scriptores catholicos hodie nimium invalescens, Cui viam sternit publico exposita Cl. Fcti doctrina. Sicut et falsa, atque ab Ecclesia rejecta quorundam Scholasticorum, nunc vero apud Scriptores protestanticos nimis prævalens sententia de naturali quadam & inferioris ordinis beatitudine parvulis sine baptismo decedentibus, & nonnullis etiam infidelibus adultis reservata. Refellitur erroneus prædicti axiomatis sensus. Nec non recens adinventum inter Christum & Patrem initæ legis pactitiæ commentum. Cui minime favet S. Chrysostrumus & S. Augustinus. SS. Thomas, & Franciscus de Sales a Leibnitzio & Marmontelio in sui erroris patrocinium perpetram vocati vindicantur.* 207

CAP. XVII. *Ex acerbioribus, Sedis Apostolicæ silentio probatis, celebriorum Theologorum censuris adversus invalescentem præfati axiomatis abusum, exploditur insignis impudentia Leonardi Lessii, spurium illius sensum Ecclesiæ universæ arrogantis. Ex quo catholicum dogma gratiæ gratuitæ in discrimen adduci; nec non gratiam Dei naturæ*



turæ operibus præveniri, & secundum ea certissime dispensari necessario consequitur; id quod pridem Ecclesia in Semipelagianis damnavit. Opportunæ quædam Regule pro Patribus, qui ante ortam Pelagii hæresim liberius locuti sunt, ab erroris circa gratiam imputatione secure vindicandis, recteque intelligendis accommodatæ. Diluitur argumentum ex Ecclesiæ silentio circa quæstionem facti dogmatici petitum. S. Augustini auctoritas in quæstionibus de gratia pro regula decisionum ab Ecclesia commendata.

CAP. XVIII. *Gratia ad omne peccatum per legis naturalis observationem morali potentia devitandum necessaria est: 1) gratia sanctificans, qua destitutus peccator nondum pœnitens diu sine novo gravi peccato vivere morali potentia nequit. Sed præterea 2) necessarium est gratiæ actualis auxilium. Et istud quidem 3) efficax, quod Augustino est adiutorium illud medicinæ Salvatoris, consistens in inspiratione delectationis, qua fit, ut cognita sancto amore faciamus, cujus ope vincatur delectatio peccati per collatas vires efficacissimas voluntati. Refellitur objectio ex propositione prima inter quinque ab Innocentio Pp. X. damnatas. Neque propterea consequitur, gratiam inefficacem, seu in sensu Theologico sufficientem futuram inutilem. Hujus quam plurima commoda recensentur, & quantum gratiæ sufficientes ad efficaces disponant? uberius declaratur.*




CAP. XIX. *Ut justus morali potentia per longius tempus omnia venialia peccata, etiam ea, quæ ex semiplena inadvertentia, & infirmitate subrepunt, evitare possit; necessaria sunt extraordinaria gratiæ auxilia, quæ an, excepta B. Virgine, alicui mortalium hactenus obvenerint? definiri certo nequit. Demonstratur Thesis ex S. Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorumque auctoritate. Quamdiu justus sine peccato veniali esse non possit? ex oratione dominica, ex Tridentino, & SS. Patrum loquendi modo determinatur. Objectio ex S. Augustino deprompta elevatur. Cur justus in hac vita cum ordinariis gratiæ auxiliis non devitet omne peccatum, cum illud devitare physica potentia possit? ratio repetenda ex commutatione, & fragilitate voluntatis humanæ. Plura scitu digna de signis proficientis animæ, de perfectione propria præsentis vitæ, deque justitiæ plenitudine, ad quam in hac vita conitendum per operationem justitiæ. Halucinatio Tournelyi negantis existere præceptum omnia venialia peccata devitandi refellitur. Demum Cl. F. Ctum communem cum Pelagio causam fecisse ex Pelagiana fidei formula demonstratur. 257*

CAP. XX. *Proprium naturæ bonum non adeo usque per peccatum in homine depravatum esse, nullæ ut in eo vires relictæ sint ad bonum aliquod morale agendum, malumve vitandum; SS. Patrum evincit auctoritas. Quod confirmatur ex SS. Chryso-*
sosto-

Iustomo, Hieronymo, & Augustino, exemplis ethnicorum Philosophorum, veterumque Romanorum factis. Horum tamen virtutibus plerumque vitium aliquod inerat, saltem ex admissione pravi finis. Quae in re profani quoque Scriptores consentiunt. Virtutes igitur, quas in hominibus vera fide destitutis Patres laudant, non erant naturales virtutum habitus; sed laudabiles virtutum actus ex naturæ bono manantes. Fidelium etiam opera ex officio bona philautiæ vitio, vanæque laudis fumo, frequentius inquinari communis Patrum doctrina. Inde ad veri boni, veræque virtutis opus gratiam exigunt, qua mediante opera nostra ad finem ultimum supernaturalem referantur. Quædam circa hoc thema a S. Augustino duriuscule dicta emolliuntur; quædam cum doctrina ab eodem alibi tradita conciliantur.

CAP. XXI. *Aliæ difficiñores Augustini phrasæ illustratæ; uti: neminem de suo habere nisi mendacium & peccatum: — liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere: — prorsus, si defuerit gratia, nihil boni agere hominem posse. Cum Synodus Diospolitana, alique Patres gratiam ad singulos actus dari definiunt; actiones moraliter tantum, & solo officio bonas non complecti, sed ad actus salutes restringendam esse eorum doctrinam, ex rerum adjunctis demonstratur. Demum S. Hieronymi, & nonnullorum Romanor. Pontificum de eodem*



*dem argumento dicta quam accuratissime
explicantur.* 294

CAP. XXII. *Proximis duobus capitibus expo-
sitam SS. Patrum doctrinam Juri divino
credendorum & agendorum consonam esse,
subjuncto triplici paradigmate ostenditur.
Ex horum singulis corollaria deducuntur
ad promovendam Christianam morum disci-
plinam, ad commendandum frequens ne-
cessariæ orationis studium, nec non ad sa-
lutarem operum praxim recte & cum fru-
ctu instituendam, eamque adversus perni-
ciosa quædam laxioris morales principia
firmandam commodum attinentia. . . .* 380





PROÆMIUM.

Philosophi Patriarchæ Hereticorum Ecclesiæ puritatem perversa macularere doctrina. Sed hæresis Pelagii omnium hæreticorum venena complectitur, quæ de Philosophorum, & maxime Pythagoræ, & Zenonis Principis stoicorum fonte manarunt. a) Inter hæc haud postremum illud: Humanam sibi ad vincenda peccata, & mandata Dei facienda sufficere posse naturam, ita ut per propriam voluntatem legem Dei possit complere, sive naturaliter in corde scriptam, sive literis datam. b)

Quamvis autem iudice S. Augustino: ab auribus omnium removendus sit, & ore omnium anathematizandus, qui dicit: Sufficere hominis liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda: & qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed - - humanam sufficere voluntatem; c) sunt tamen hodiernum adhuc homines

A

mines

a) S. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem. b) Synodus Carthaginensis Epist. synod. ad Innoc. §. XXXIX. c) S. Augustinus infra §. XLI.

mines gratiæ ingrati multum tribuentes inopi, sauciæque naturæ, d) dum velut novarum inventores assertionum, & assertores inventionum, naturæ humanæ vires naturales tribuunt juri naturali servando sufficientes, hominemque propterea legem Dei servare, & sine peccato vivere posse contendunt; e) imo qui oppositum cum Ecclesia senserit, erroris publicæ damnant. f) Ita vero doctrinis variis & peregrinis abducti redigunt caput in caudam, & ancillæ cogunt famulari reginam, videlicet documentis terrenis, cælestis quod est gratiæ tribuendo naturæ, g) sicque seducti inani Philosophia volunt humana ratione intelligere, quod pia mens vivacitate fidei nititur apprehendere; h) dum vero plus exquirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt, & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. i)

Quum igitur: duo illa: quid natura ex Adamo contracta possit? quid gratia per Christum operetur in nobis? totius christianæ fidei fundamenta sint, k) cumque melius Dei causa agatur, dum & Creator & Salvator agnoscitur; quam si defensa velut sana, viribusque integris creatura, opitulatio salvatoris inani-

tur

d) Idem §. LIX. Not. e) S. Bernardus cit. §. XXV. f) Auðor Positionum Inaugur. infra §. XXI. g) Gregor. IX. Pp. §. CXXI. h) S. Aug. i) S. Gregor. M. §. IX. k) S. Aug. cit. §. X. & LXXIII.

tur l): sedulo proinde cavendum: ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ videamur, m) quam nobis plurimum apostolica doctrina commendat, quæque subvenitur fragili vitiatæque naturæ. n) quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc majoris vitii sit, non videre. o)

Quare si contra novos divini gratiæ inimicos, qui incautis novas semper ponunt tendiculas, scribere oportet, etiam quum periculum quemquam seducendi abest, p) quanto magis cavendum, magna diligentia providendum, ne per ejusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur, & de exciso olim dogmate aliquod in Provincia nostra ejusmodi mali germen oriatur, quod non solum in radicibus crescat; sed etiam Sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat. q)

Et quoniam porro ridiculum foret, & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris vel falso insimulari sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus a Patribus nostris suscepimus, prohibitu errantium infringi patiamur: quapropter necesse est, ut eorum conatibus resistamus, & falsis eorum jaculis veritatis clypeum opponamus. Quod nos quidem opitulante superna potentia, prout valemus, agere non omittemus: nec cum oportunitas cælitus datur, contra
 A 2 illos

l) Idem §. eodem. m) Idem ibid. n) Idem §. XLII. o) Idem §. XXXV. p) Idem §. LXXIV. q) S. Leo Mag. Epist. ad Agu. Episc.

4
illos pro Ecclesia Christi tacebimus. r) Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit; ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit, s) imo error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cum non defenditur, opprimitur: t) & ideo etiam inter amicos contra veritatem nulla debet esse meticulosa, cum sit periculosa, palpatio. u)

Ceterum crises, quæ calumniis abstinent, quemcunque demum, a summo Principe usque ad infimum contingant, prohibendæ nunquam sunt: quod cuilibet veritatis amanti volupe, atque jucundum esse debeat, si illa huic hac etiam via obveniat: x) Quid autem gloriosius, quam subjici & vinci a veritate? superet veritas volentem, nam & invitum ipsa superabit. y) Bonum ergo est homini, ut eum veritas vincat volentem, quia malum est homini, ut eum veritas vincat invitum. Nam ut ipsa vincat, necesse est, sive negantem, sive confitentem. z) Denique non vincit nisi veritas; veritatis autem victoria est charitas. aa) Quo securius vero illa triumphet, orandus est Deus, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus, & collegis nostris utiliter, & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus. bb)

CA.

r) Nicolaus I. Pp. ad Hincmar. Rhem. ceterosque Gallia Episcopos. s) S. Gregorius M. §. VI. t) Innocentius §. eodem. u) S. Bernardus Epist. 35. x) C. R. Decretum de typi libertate emanat. II. Jun. An. 1781. y) S. Aug. § CL. z) Idem Epist. I. ad Pascen. n. 29. alias Cap. 5. aa) Idem §. VIII. bb) S. Cyprianus infra §. CL.



CAPUT I.

Iustæ multorum querelæ adversus inconsultas catholici Jurisconsulti censuras, celeberrimo de imitatione Christi Anonymo, ob doctrinam cum dogmate catholico prorsus analogam justo licentiosius inflictas. Inde natum Auctori consilium, opposita apologia consulendi, & famæ viri Ascetarum longe præclarissimi, & per latus ejus perperam laceffitæ catholicæ veritati. Censoris intentio a malæ fidei suspitione, aut deliberatæ prolapsionis invidia liberatur. Nihil tamen suppetit, quod excusandæ ejus censuræ suffragetur.

§. I.

Et si Horatiano consilio citius, justo tamen serius, quam argumenti ratio posceret, in lucem demum prodit, quod heic jam sistimus, apologetici præsentis specimen,



& istud quidem non supinæ cunctationis, aut inertiae vitio, sed quod primum præter urgentiores alios labores plurimos, alternans deinceps rerum vicissitudo, maturationem pridem cæpti operis identidem sufflaminasset, propriis certe ingratis in præsens usque prorogatum. Prius vero, quam propositi hujus nostri, inique consilii rationem reddamus, præ ceteris, qua potissimum occasione ad hocce scriptiois genus animum adjecerimus, prævie duximus exponendum.

Occasio igitur præcipua texendæ hujus apologiæ hæc unica fere, ac sola fuit. Jam anno MDCCLXXVI, publici juris factus est exiguæ licet molis, multigenæ tamen & exquisitæ eruditionis libellus, sub hac epigraphæ. *Positiones inaugurales ex universo jure divino & humano, publico & privato selectæ*, quas pro consequenda in universo jure Doctaratus laurea *publicæ eruditorum disquisitioni* in magna aula academica submitit vir jurisprudentiæ peritiæ apud suos utquam maxime commendatus. Et potuisset sane Positionum harum adornator simul ac propugnator parta hoc suo specimine eruditionis famæ quietius remota omni procul invidia perfrui, si modo justos inter saniores critices terminos contineri maluisset, sibi que temperasset a censuris non nihil insolentioribus, ob quas haud levem affectatæ singularitatis suspicionem apud non paucos incurrit. Displicuit vero inter alia plurimis Auctorem opusculi *De imitatione Christi* omnium judicio Asectarum facile principem, nullo plane merito suo ad subeundam ferulam postliminio trahi, traditamque ab eo doctrinam recentioris Aristarchi obeliscis præfidentius jugulari.

§. II. Offendit porro istud plurimos cum primis propterea, quod hucusque tantam sibi apud probos omnes venerationem comparasset celebratissimus per
Chri-



Christianum orbem laudati Anonymi libellus; ut post sacros Codices nullus tam frequentibus typis fuerit excusus, nullus tam cupide ab omnibus expetitus, atque a summis, mediis, infimis lectitatus; nullus, qui in tam diversas plurimarum nationum linguas sit translatus, *) atque omnium calculis approbatus. Et vel ideo visa est plerisque res plurimum invisa, tam celebrem, nobilemque partem nunc primum atro carbone scædari, cujus ascetica morum documenta a præcipuis vitæ spiritualis magistris magno semper in pretio habita fuissent, **) atque a viris sacra eruditione maxime conspicuis, quos inter Card. *Baronius* & *Ludovicus Granatefsis* merito numerandi, nunquamnon summis encomiis impensius commendata, ut propterea doctis.

A 4

Card.

*) Harum versionum, ac editionum Catalogum exhibet *Fabritius* in Bibliotheca med: & infim. Latin. Ab hoc vero tempore multum auctus est novarum editionum numerus. Post Venetam de Anno 1761 ex accuratissima recensione *Heriberti Ros-Weydi* novissima, eaque splendida an. 1773 Parisiis prodit, cujus tamen plures interpolationes occasionem dedere Francisco Josepho *Desbillons* aliam correctiorem adornandi, quæ an. 1780. Manchemii ex typographia academica prodit sub titulo: *De imitatione Christi libri quatuor ad veram lectionem revocati, & auctori Thomæ a Kempis devoto vindicati*. Adjectus est demum Index Parisin. interpolationum.

**) Et quidem de S. Carolo Boromæo legimus eum semper libellum hunc secum deferre solitum, indeque hausit ab eo regulas perfectæ illius, ac solidæ pietatis, quæ subinde in omnibus ejus vitæ actionibus resplenduit: de S. *Philippo Nerio* accepimus: eum exinde omnem hausisse, quo postea inclaruit, christianæ perfectionis spiritum. Ferunt denique, ut alios prætermittam, S. *Ignatio Lojola* adeo proprium, familiaremque fuisse, ut totius vitæ illius ratio, quasi eminens ac viva quædam ejus imago fuisse credatur: prout hæc & alia plura in hujus opusculi commendationem facientia recte notarunt, qui in illud præfati sunt.



Car. Bellarminus palam subinde fit contestatus: *opusculum hoc sane utilissimum esse, ac jure in tota Ecclesia omnium consensu receptum, & frequentatum.*

§ III. Quoniam porro nemo unus, quod sciam, usque in præsens visus est, scriptor catholicus, qui præclarissimi hujus Ascetæ orthodoxiam, vel minima sui parte in dubium revocare, aut suspectam quoquo modo reddere aliquando attentasset: eapropter paradoxum cuique merito videbitur, prorsusque inexpectatum phœnomenon, tanti meriti auctorem nunc primum a sequentis ævi Jurisconsulto catholico, nedum *inconvenientis locutionis* onerari invidia, sed etiam, quod ad majorem ejus ignominiam facit, palam inflictâ *erroris* censura, multo quam par sit, licentiosius infamari. Adeo nimirum hodie nihil est etiam a sæculis communi omnium judicio, calculoque probatum, quod præfidentioris critices effugere tribunal possit: *) nempe ut jure olim Poeta cecinit.

Sic nocet innocuo nocuus, causamque nocendi invenit. — — —

§. IV.

*) Nec mirum istud videri cuiquam debet, si probe secum expendat, quæ de criticorum quorundam genio oportune notavit in præfatione operis *de Ingeniorum moderatione* sub adscititio *Lamindi Britanii* nomine latens celeberr. *Ludovicus Muratorius*. Nempe famam aucupanti, inquit ille, nulla occurrit ratio faciliior, quam censorem agere, & potissimum in scriptores diuturni temporis præscriptione, vel suffragantium auctoritate sacratos. Quod enim est ad Criticos non paucos, ubi errores in magnis viris deprehendisse sibi visi sunt; tum sibi tacite gratulantur, quasi ingenio aut judicio præstantiori poleant ipsi, & aliqua saltem ex parte vincant tot ingeniorum victores. Et esto interdum censura aliena nostro judicio proffit; semper tamen nostræ ambitioni blanditur; quippe depressis proceris arboribus
vel



§. IV. Atque hinc ortæ probos inter ac eruditos privatae primum quidem miffiones, tum vero aperte etiam querelæ ac indignationes adverfus novellum hunc Catonem piiffimo Ascetæ noftrø tantopere infenfum, fimulque floeci facientem in uno hujus viri contemptu, tot hominum judicia eidem, ejusque doctrinæ faventia. *) Et quamquam perfuadere fibi, aut aliis fortaffe potuiffet, fe veritatis unius amore, quæ omnibus præferenda eft, in auctorem hunc irruiiffe; vix tamen erit, ut perfuadeat, fe non exceffiffe modum, ac moderationem juftæ cenfuræ, aut dictatoriæ poteltatis munia ufurpatione præpoftera non invaiffe, ut fuo loco videbimus.

§. V.

vel ipfa virgulta fibi crefcere confeflim videntur. Quare quod de fui ævi criticis *Celeftinus* Papa ad Clerum, populumque Conftantinopolitanum feribens notavit, idem etiam de quibusdam ævi noftri Ariftarchis adplicari fors non injuria poffet: *quia, agebat ille, fermonum novitates de vano gloriæ amore nafcuntur, dum nonnulli volunt acuti, perfpicaces, & fapientes videri, quærunt, quid novi proferant, unde apud animos imperitos temporalem acuminis gloriã confequantur.* Quamvis igitur in hujus quoque vitii cenforibus communis fufpicionem trahi clariffimus nofter ab iis fors poffit, quibus non aliunde, quam ex edito Poftrionum fuarum fpecimine, hucusque innotuit; attamen ab hac affectatâ gloriæ imputatione eum facile nobifcum abfolvent, qui æquo animo expenderint, jam tunc a fummo Principe delatos publicæ in jurisprudentia cathedræ honores academicos amplioſorem huic viro folidioris gloriæ capeſtendæ viam, campumque aperuiſſe, quam ut ſua illa in Anonymum feveritate laureolam quærere in muſtaceo voluiſſe, fufpicari prudenter poſſis. Quid? quod hujus viri gravitas, & inter ſuos notoria ingenuitas hujusmodi fufpicionem prorfus elidat.

*) Recte obſervat Exim. *P. Gazzaniga* in Nota diſſertationis tertie de gratia Capiti 3 ſubjecta: cum jam diu hic liber omnium fidelium manibus teri conſueverit, ejusque doctrina communi talento probata ſit, ejus confequenter vocem, eſſe quaſi vocem integre multitudinis.



§. V. Sed neque præterea (verba sunt laudati *Muratorii* ob argumenti analogiam in rem nostram isthic accomodata) non inquam, eo solum nomine clarissimo Censori nostro succensendum, quod is male adeo piissimum Ascetam habuerit, virum nempe, quisquis ille fuerit, cujus sacræ eruditionis fama, nec laudibus crescere nostris, neque alieno livore, ac vituperio imminui jam queat. Quamquam Ascetam hunc super alios omnes veneremur, supra illum tamen veritatem esse colendam constat. Quare si stet a Censore veritas, cur illi irascamur, nos, & Anonymum suum meliora docenti? Unum igitur, idque præcipuum fuit, ob quod Positionum inauguralium auctor se veniamini digne dignum fecit, nempe veritas catholica, ut nobis, aliisque videtur, per inconsultam, qua Ascetarum Principem immerito perstrinxerat, *erroris* censuram indirecte, quod ajunt, ab eo impugnata, & peperam in discrimen adducta Ecclesiæ Catholicæ doctrina.

§. VI. Quum igitur injuria orthodoxæ veritati illata ad omnes pertineat veritatis amantes, matureque obsistendum sit morbis pejora minantibus, secundum illud Nasonis: *Opprime dum nova sunt, pravi mala semina morbi*: hinc eorum, quos facere id ex officio oportebat, negligentiam supplere volentes, natum nobis consilium, ut opposita apologia consultum iremum famæ viri Ascetarum multo præstantissimi, tum per latus ejus *laccessitæ* catholicæ veritati; ne, dum hæc in alieno corio vapulat, palam interim triumphet error, aut certe ex intempestiva veritatis amantium taciturnitate jus civitatis sibi vindicet, imo ex ignava impugnandi dissimulatione robur quoque auctoritatis obtineat; si quidem verissimum est, atque experientia multa comprobatum illud Innocentii Papæ dictum: *Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cum non defenditur*



tur, opprimitur; a) quo spectat & illud S. Gregorii Mag. Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. b) Et tamen ex voto Tulliano, quemvis hoc mallem de iis, qui essent idonei, suscipere, quam me; malebam tamen etiam me, quam neminem. c) Quis enim, ut S. Augustinus recte monet, quis audeat dicere, adversus mendacium (& errorem) in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem; ut videlicet illi, qui res falsas persuadere conantur, - - fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti, nec vera defendere, nec falsa valeant refutare, - - - sed pro veritate lenti, frigidique dormient? quis ita despiat, ut hoc sapiat? d) Quare resistendum talibus erroribus, quos male crescere videmus. Nefas est hoc pati religiosas animas, ut olim agebat Papa Coelestinus. e) Nec immerito; quia teste auctore operis imperfecti: Non solum ille est proditor veritatis qui transgrediens veritatem palam mendacium pro veritate loquitur, sed etiam ille, qui non libere pronuntiat veritatem, quam libere pronuntiare, adde: aut oppressam libere tueri, oportet. f)

§. VII. Quemadmodum vero proprium Theologici muneris est, vim orthodoxæ veritati, sanæque doctrinæ illatam, a quocumque demum illa, seu aperta fronte, seu per cuniculos impetatur, pro virili repellere, fideique puritatem contra quoslibet insultus sartam semper, tectamque servare: *) ita gravate ferre non debet quisque scriptor catholicus, si propter nocentum

(a) Dist. 83. Can. Error. (b) 2- Pastoral. Cap. 4. (c) Phil. 6. (d) Lib. 4. de doctrina Christiana Cap. 2. (e) Epist. Episcopus in Gallia. f) Inter opera S. Chrysostr. Tom. 2. Homil. 2. super Math.

*) Est enim Theologia juxta S. Augustinum Lib. 14 de Trinit. Cap. 1. Scientia, qua filios saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.



tum scriptis suis, fidei catholicæ, aut receptæ in Ecclesia doctrinæ, quamvis haud mala fide, sed improvide, sed inconsulte illatum, sibi dicam scribi, diemque dici videat. Qua in re dignissimum est, quod in parili casu omnibus commenderetur, doctissimi *Combesis* votum: *malem certe, aiebat ille, tametsi remissus sim, meique amantior, millies proscribi, dirasque omnes - - in memet excipere, quam ut mei nominis, si qua esset auctoritas materiali ullo meo errori, - - - qui quidem fratribus meis, ac Christi Ecclesiæ vel minimum exitiosus videatur, quicquam momenti asserat, malimque magis, quibus impensiori charitate in votis sit, ut pro fratribus nedum dicantur, sed et juxta votum Apostoli Rom. 9 v. 3. anathema sint a Christo.*

§. VIII. Istud vero fiducia eo majori sperare, ac expectare a clariss. Censore nostro possumus, quo explorata imago nobis est hujus viri indoles, ad omnem morum honestatem cum religionis studio conjunctam comparata; quem proinde illa sua in Ascetæ nostri doctrinam severiore censura catholico dogmati præjudicium de industria, animoque præmeditato inferre voluisse, lex charitatis, *quæ non cogitat malum*, suspicari omnino vetat. Supponendum ergo potius idem nunc clarissimo huic viro accidisse, quod aliis ejusdem professionis ac instituti pluribus etiam naris emunctæ scriptoribus, qui, quum in adornandis Ecclesiasticæ cum primis Jurisprudentiæ speciminibus intra fines proprios continere se debuissent; subinde tamen extra oleas evagati, rerum theologicarum sive imperitia, sive incuria, aut certe non attento hypotheseum suarum cum theologiæ principiis nexu, in crassos errores, & hallucinationes manifestas incaute inciderunt: cujus quidem facti exempla haud a longe petenda sunt,

sunt. *) Quid proinde mirabimur, eodem si fato involutus sit Anonymi nostri Censor clarissimus ad dogmaticæ veritatis cum Ascetæ hujus doctrina analogiam utique

- *) Horum quædam heic subicere non abs re fore putavimus. Atque in primis quidem haud satis cautus fuit doctiss. *Fleurii*, dum in suis *Institutionibus Juris Eccl.* P. II. Cap. 3. §. 4. baptismi administrandi potestatem ad solos christianos restringens, personam *non baptizantem* exclusit. Equidem hac in re nihil usque definitum, nec Concil. Tridentinum hoc punctum attigit; auctoritates tamen a Theologis collectæ dubitare de valore baptismi a non baptizato peracti adeo non sinunt, cum ut iterare, nequidem apposita conditione liceat: Merito proin in nova harum Institutionum editione de anno 1774 hic error correctus est. Et cui porro notæ non sunt allucinationes Auctoris *Principiorum jurispublici Ecclesiastici catholici*, Francofurti primum & Lipsiæ anno 1747 editorum? quæ tamen in non diu post secuta Vindobonensi editione expunctæ sunt, quibus etiam se opposuerunt plures Theologi, quos inter P. Antonius o *Brien*, in Appendice ad Theses de virtutibus theologicis; sed fusius ante illum P. *Gautier* in suis in eadem Anonymi Principia Animadversionibus Edit. Colon. anno 1750. Neque demum dissimulandas putavi recentioris cujusdam juris ecclæs. Scriptoris aberrationes, suæ haud ita pridem vulgatæ *Introductioni in jus publicum Ecclesiasticum Catholicorum* insperfas, sed purpurati cujusdam Antistitis perspicacia illico detectas & pro suo, quo is pollet, ad conservandam Ecclesiasticorum dogmatum puritatem pervigili studio, zeloque repressas, quæ his quatuor propositionibus continentur: 1) *Dogmata Religionis nostræ esse veritates supra rationem positas* Tom. II. pag. 75. n. 1. 2.) *Facile contingere posse, ut Ecclesia, stante sua in ipsis veritatibus supra rationem positis infallibilitate, præter eas quidquam adnectat, quod plane supra rationem non positum, & republicæ nocivum esse ab Imperante, aut quovis juris naturalis, & publici prudente, quam optime intelligitur.* Ibid. n. 5. 3) *Ab imperante minime quid dogmatici positive decidi, sed solummodo recte negari: simile quid, quod naturali civitatum fini adversum sana ratio dicitur - non dogma*



utique non satis attentus? cujus tamen eruditioni nihil propterea decerptum volumus, neque etiam durius habendum putavimus inconsulte ac improvide cespitan-
tem, monitum S. Augustini sequentes: *Diligite homines, interficite errores a)*: ut enim idem alibi ait: *non vincit nisi veritas, victoria veritatis est charitas b)*: ac vel ideo suadente eodem S. Doctore: *veritas in pace*

ca-

esse posse. P. II. §. 105. n. 5 & 6. 4) Princeps non tantum ipsa spiritualia jura, si accidentalia sint, pro reipublica bono tollendi, sed etiam suspensionem Jurium Ecclesie essentialium apud eos, apud quos eam sine reipublica interitu impedire nequit, permittendi obligatione tenetur. Ibid. §. 116.

Sed quis non videat in *Ima propositione* *Mysteria religionis* cum ejus dogmatibus inscite confundi? An morum dogmata, quorum pleraque supra rationem non sunt posita, religionis dogmata non sunt? quid? quod nec quædam fidei dogmata, uti illa de existentia Dei ejusque providentia, supra rationem posita sint. *Alter* *Propositio* falso supponit Ecclesiam universalem stante sua infallibilitate decisionibus dogmaticis quidpiam reipublicæ exitiosum adnectere posse; si enim hoc posset, posset consequenter dogmatibus suis errorem adnectere; siquidem doctrina reipublicæ exitiosa, error foret omnino perniciosissimus; sicque Ecclesia in determinationibus dogmaticis hoc ipso non esset infallibilis. *Propositio* *Ultia* perperam sumit universalem & infallibilem Ecclesiam quidpiam in dogma recipere posse, quod dogma non est, quodque naturali civitatum fini adversum sana ratio dicat. *Propositio ultima* hypotheses fingit impossibiles. Nullum profecto verum jus spirituale cogitari potest, quod reipublicæ præjudicet; nec proinde sæcularis potestas, qua talis unquam se ad pure spiritualia exporrigere potest, atque adeo jura essentialia Ecclesie, quæ tantum mere spiritualia sunt, sufflaminare sub ullo prætextu nequit. Ut primum inter spirituales & sæculares instantiam vera suboriretur collisio, tum illa non spiritualia, sed tantum modo temporalia jura attinet, in quo casu dubium non est, quin exceptionem facere Princeps possit.

a) Homil. 6. b) Serm. 358.



catholica pacifico studio nobis est requirenda, paratis corrigi; si fraterne & recte reprehendimur. c)

§. IX. Quamvis igitur Cl. Cenforis intentio a malæ fidei suspicione, aut voluntariæ prolapsionis vitio purgari hoc pacto possit; nihil tamen solidæ rationis suppetit, quod ipsius in Anonymum censuræ excusandæ suffragetur, hæc si cum primis, ut suo loco videbimus, cum præambulæ positionis lemmate, unde proflexerat, comparetur, ubi, dum *possibilitatem non peccandi, Deique legem servandi*, quam divinæ gratiæ in acceptis referendam Ecclesia adversus Pelagium constanter docuit, solis naturæ corruptæ viribus attribuendam esse contendit; quid amabo, aliud illa sua in Ascetæ doctrinam censura, quam pestiferum Pelagiani saporis errorem lectoribus incautis ipse male cantus obtrudit? Adeo nempe verum est, quod olim de sui ævi minus sobrie, aut plus, quam oportet, sapientibus scripserat S. Gregorius Mag. *Non nulli -- inquit, dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt; & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt d)*. Sed quod Cl. Cenforem Anonymi nostri attinet, fors ei non injuria exprobrare quis posset, quod jam olim S. Prosper in Collatore reprehendit: *Unde, inquit, hæc diligentia tam severi emerfit examinis? unde in hanc austeritatem supercilium se terricæ frontis armavit? ut -- insidiosus scrutator --- magnum se aliquid conficere præsumat, si catholico scriptori notam erroris affigat. Quasi incognitum aliquod opus, & quod hactenus latuerit, impetatur; ac non illa his morsibus doctrina lanietur, que hereticorum commenta dissecit, & tumorem Pelagianæ elationis elisit e)*

§. X.

c) L. I. de Trinit. c. 9. n. 12.

d) Lib. 7. moral. Cap. 17. (e) Lib. advers. Collatorem. Cap. 1.



S. X. Quoniam igitur duo illa : quid natura ex Adamo contracta possit ; quid gratia per Christum operetur in nobis ex Augustini sententia, totius Christianæ fidei fundamenta sunt : a) inde facili quisque negotio intelliget, in istud hic potissimum nobis committendum esse, ut, quæ in hujusmodi disquisitionis genere constans omni tempore fuerit Ecclesiæ catholicæ sententia ? quam fieri poterit, curatissime exponamus. Hoc pacto fiet, ut cognita naturæ peccato vitiatæ imbecillitate ; e contra vero explorata gratiæ sanantis efficacia, nec non ejusdem ad devitationem peccati, divinæque legis observantiam necessitate probe perspecta ; illinc quidem propriis disfidere viribus, & in timore ac tremore salutem nostram operari ; hic vero in Dei auxilio spem totam, atque fiduciam nostram reponere, illudque assiduis precibus ardentem implorare discamus ; ne secus, quod maxime cavendum idem S. Doctor admonuit, *de libero præsumentes arbitrio a gratia divina excidamus* b) :

Atque hinc patet maximi sane momenti esse, quod pertractandum suscepimus præsentis apologetici argumentum, cujus amplitudo, quoniam ad plura theologice doctrinæ capita exporrigitur, cum principe thematici scopi indivulse connexa ; eadem consequenter in exactiorem quoque discussionem simul hic adducta fuisse, nemo, qui in theologica palæstra versatus sit, puto, mirabitur, vel improbabat.

CA-

a) Epist. 94 ad Hilarium. b) Epist. 47.

CAPUT II.

*Ad geminam naturæ legem, usum corporali-
um necessitatum moderantem haud ad-
vertisse animum Ascetarum facile Prin-
cipem, eumque propterea inconvenienter
fuisse locutum, ex ejus dictorum perico-
pe perperam arguit Cl. Œtus præci-
pui Hermenevticæ canonis aut ignarus,
aut incurius.*

§. XI. **A**n-tequam ad ipsam rei summam disputatio no-
stra procedat, dispungenda prius sunt alia quædam accu-
sationis capita, quibus præclarissimi Ascetæ manes gra-
vare non dubitavit Censor clarissimus. Quamquam
igitur, solos si excipias Hagiographos, nemo alius scrip-
tor ecclesiasticus hac prærogativa polleat, prorsus ut in
nullo doctrinæ puncto deficere, atque a vero aberrare
subinde non possit; attamen si quis eorum sit vitæ
integrioris laude conspicuus, aut plurimum sæculorum
calculis probato Ecclesiasticæ eruditionis specimine cla-
rus: tum profecto æquissimum est, eam erga illum
moderationem atque modestiam observare, ut si quid-
piam in ejus scriptis duriuscule sonans lector invenerit,
omnem prius benignæ interpretationis viam tentet, an-
tequam ad scriptorem ipsum palam arguendum, casti-
gandumque procedat. Quum vero Anonymum nostrum,
quisquis ille fuerit, virum omnium fuisse mox lauda-
tis dotibus instructum, ejusdemque præclarissimum de
imitatione Christi libellum jam inde a quatuor fere sæ-
culis præjudicatum in Ecclesia, sanæ, puræque doctri-
næ suffragium tulisse in dubium vocari nequeat: (§. III)



eandem consequenter erga eum æquitatis in interpretando regulam observari oportuisse, atque etiamnum oportere; quisque facile, etiam non rogatus largietur.

§. XII. Quam parum autem ad hanc æquitatis regulam animum adverterit severissimus piissimi Ascetæ Criticus; affatim dispicere licet ex scholio Positionis, quæ est ordine V. inter rudimentales ex jure naturali his verbis contexta:

Sunt quædam naturæ necessitates etiam directioni Furis hujus (naturalis) subjectæ: neque solum cibi, potionis, ac quietis excessu; verum & defectu peccatur. Huic vero Positioni sequens scholium continenter subjicit:

Proinde ad geminam naturæ legem non advertit animum Ascetarum facile Princeps lib. 1. de Imitatione Christi Cap. 22. §. 2. inconvenienter locutus: comedere, bibere, vigilare, dormire, quiescere, & ceteris naturæ necessitatibus subjacere vere magna miseria est, & afflictio homini devoto.

§. XIII. Ergo si Ictum audias, duplici ex capite reprehensionis obnoxium se Anonymus fecit: 1) ob supinam ad obvias naturæ leges *inadvertentiam*: 2) ob inde ortam in scribendo *inconvenientiam*. Verum quod jure olim Poeta cecinit:

Obliquis oculis oblique multa videntur:

id ipsum de Anonymi nostri Critico non injuria isthic occini posse dixeris; aut diceret illi saltem Augustinus in aurem: *quisquis legis, nihil reprehendas, nisi cum totum legeris, atque ita minus reprehendes;* a) qua S. Doctoris

a) Lib. de Mendac. Cap. 1.

parænesi probe observata, nihil profecto, quod carperet, in citata verborum pericope offendisset. Quamobrem merito S. Hilarius, *iniquum esse*, ait, *nisi comperta usque ad finem ratione dictorum, præjudicatam sententiam ex initiis, quorum causa adhuc ignoratur, asserre.* b) Quemadmodum enim ex mente ejusdem S. Doctoris: *optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat; - neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum:* c) ita e diverso ex S. Cypriani sententia *falsorum interpretum indoles est, ut extrema ponant, & superiora prætereant, (vel vicissim) partis memores, partem subdole comprimentes,* d)

§. XIV. Ex his SS. Patrum sententiis robor auctoritatis obtinuit canon apud artis hermenevticæ petrius exploratissimus, quo præcipitur, genuinam Scriptoris mentem, rectumque dictorum sensum ex antecedentium cum consequentibus, vel horum cum illis nexu ac collatione repetendum: nam ut apposite ad rem olim agebat Papa Gelasius: *dictandi ordo tanta sibi met connexione subjungitur, ut & præcedentia subsequentiis serviant, & subsequentiis ex præcedentibus suspendantur: & ideo eorum sensum, que prolata sunt melius pandi, si infra, supraque legentes, vel quo tendant, vel unde pendeant, demonstremus.* e) Huc quoque recte quadrat illud a S. Hilario brevissime dictum: *intelligentia dictorum, ex causis est assumenda dicendi.* Hujus ergo usitatissimi canonis maxima semper ratio habenda interpreti; si officio suo defungi rite velit, verumque scriptoris sensum interpretando assequi sine aberrationis periculo sincere discipiat.

B 2

§. XV.

b) Lib. de synodis sub initium. c) Lib. 1. de Trinitate.

d) Lib. de unitate Ecclesiæ circa medium.

e) Epist. 7. ad Eliam.



§. XV. Hunc si canonem præ oculis habuisset academicus Anonymi æmulus; multo sane æquius de Ascetarum Principe iudicium ab eo expectandum fuisset. Nunc vero, quam parum sibi constet utrumque accusationis caput (§. XIII.), quamque nihil solidi contineat ad invidiam propterea Ascetæ suo conflandam? age, videamus. Primum igitur Anonymus noster hoc cum primis nomine carpitur, tanquam *qui animum non advertisset ad geminam naturæ legem*, quarum utraque usum corporalium necessitatum moderatur, & una quidem, ne cibo, potuque exorbitet; altera ne horum indiscreta abstinentia valetudini obsis, cavet, atque mediocritatem in his semper servandam præscribit.

Verum si ad laudatam Hermenevticæ regulam (§. præced.) animum vir clarissimus vel paululum advertisset, nequiquam crediderim eum eousque fuisse progressurum, ut virum in præcipiendis vitæ christianæ officiis, & ascetica morum doctrina, omnium iudicio, versatissimum supinæ ad obvias naturæ leges inadvertentiæ, ac neglectæ circumspeditionis duceret postulandum. Quid enim? an ad geminam naturæ legem ille non adverterit, qui paulo ante eodem citati capituli numero, seu paragrapho disertim lectores præmonuit: *hominis felicitatem in hoc non esse repositam, habere temporalia ad abundantiam; sed ei sufficere mediocritatem?* Profecto enim, qui in temporalium necessitatum, rerumque terrenarum usu mediocritatem commendat; is consequenter omnem in his excessum æque, ac defectum, ceu totidem mediocritatis extrema ipso facto tacite improbat, atque adeo ad geminam naturæ legem extremorum utrumque vetantem, animum non advertisse supponi prudenter nequit: ad utramque ergo legem ani-

animi attentionem attulisse omnino censendus est Asceta præ ceteris illuminatissimus.

§. XVI. Hæc utut sint exploratissima, promptissime tamen JCto succurrit, quod in vim exceptionis afferat. Eum ergo ita fere ratiocinantem audias: si ad geminam naturæ legem animum advertisset Ascetarum facile Princeps; haud is adeo *inconvenienter* fuisset locutus, ut *comedere, bibere, vigilare, - - - & ceteris naturæ necessitatibus subjacere, magnam miseriam esse* diceret: moderatus quippe necessitatum corporalium usus, cum is juris naturæ directioni subjaceat, miseræ nomine cenferi *convenienter* nequit. Adeo nempe unica miseræ vocola Censorem nostrum offendit, ut propterea, quod *comedere, bibere, miseriam* dici audiat, haud immodice scandalizetur.

At potuisset ille hoc scandalo facillime liberari, si modo & ipse animum ad Gelasianum illum Canonem (§. XIV.) diligentius advertisset, quo provide admonemur: *eorum, quæ prolata sunt, sensum melius pandi, si infra, supraque legentes, quo tendant, vel unde pendeant, demonstramus.* Quid igitur illo suo, qui isthic male carpitur, loquendi modo Asceta piissimus reapse intenderit? haud putem difficile conjectu futurum, si ut citatus Canon præcipit, *infra supraque legentes*, intermedii sermonis sensum ex antecedentium æque, ac consequentium dictorum collatione pandamus.

§. XVII. Hujus proinde periculum facere si velis, videsis, ut sermonis sui periodum Anonymus ordiatur: *Vere, inquit, miseria est vivere super terram.* Hujus vero asserti rationem confestim reddens: *quanto enim, ait, homo voluerit esse spiritualior, tanto præsens vita*

fit ei amarior: quia sentit melius, & videt clarius humane corruptionis defectus. Hos porro humanæ corruptionis defectus continenter probat argumento ab inductione naturalium necessitatum, quibus homo subiectus est: nam, inquit, comedere, bibere -- & ceteris naturæ necessitatibus subiacere, vere magna miseria est, & afflictio homini devoto, qui libenter esset absolutus, & liber ab omni peccato. Hæc postrema verba nunciali caractere descripta, nescio plane, quo consilio Ictus noster dissimulando præterierit? cum tamen planissimus ex iisdem reddatur auctoris sensus. Voluit is nempe lectores suos attentos reddere ad miserrimam humanæ naturæ conditionem ex primævo corruptionis statu oriundam, ubi, quod in refectione corporis esse infirmitatis remedium deberet, plerumque fomes peccati fit, dum videlicet aut in rerum delectabilium usu facillime excedimus, aut quod salutis causa inchoamus, ut plurimum voluptatis causa perficimus: quia nimirum eodem Asceta testante in multis caligat oculus rectæ intentionis, dum cito respicitur ad aliquod delectabile, quod occurrit. a) Sicut quod apposite ad rem notat S. Gregorius Mag. necessitate quidem cibus sumitur; sed in ipso esu furtim gula subrepat, edendi delectatio permiscetur. Unde plerumque contingit, ut refectionem corporis, quam salutis causa cepimus, causa voluptatis expleamus. b)

§. XVIII. Quam vero difficile sit in rerum delectabilium usu a medio non recedere, debitumque semper modum servare, idem Anonymus perspicue indicat, dum ab utroque excessus, defectusque vitio liberari cupienti sequentem orationis modum, precandique formulam his verbis præscribit, atque commendat. Ecce! cibus, potus, vestis ac cetera utensilia ad corporis susten-

18-

a) Lib. 3. Cap. 32. n. 2. b) Lic. 35. Moral, Cap. 16

taculum pertinentia, ferventi spiritui sunt onerosa. Tribue talibus fomentis temperate uti, non desiderio nimio implicari. Abjicere omnia non licet, quia natura sustentanda est: requirere autem superflua, & que magis delectant, lex sancta prohibet: nam alias caro adversus spiritum insollesceret. Inter hæc, queso, manus tua me regat, ne quid nimium fiat. a) Quum igitur in refectione corporis defectum æque, ac excessum lege sancta prohiberi disectis adeo verbis Asceta religiosissimus contestetur, immerito sane, nec sine injuria ad geminam naturæ legem ambo illa extrema vetantem, animum non advertisse ab Jcto nostro accusatur.

§. XIX. Quoniam ergo non solum cibi, potionis ac quietis excessu, verum & defectu peccatur, (XII.) in his autem justo frequentius quemque excedere, consequenter & peccare propria cujusque diffiteri experientia non finit; cumque præterea refectionem corporis *plerumque voluptatis causa* (XVII.); adeoque per propositionem ab Innocentio XI. damnatam b) non sine peccato expleri ut plurimum contingat; talibus autem *naturæ necessitatibus*, in quibus non semel, ac iterum sed sæpicule, sed *plerumque* delinquitur, *subjacere*, magna certe *miseria sit, & afflictio homini devoto, qui libenter absolutus esset, ac liber ab omni peccato: tantum proin abest, ut talia asserentem inconvenientis locutionis censura multare jure possis, ut potius in eum, qui hanc inficiari miseriam vellet, ejusdem Ascetæ comminatio convenientissime quadret: væ non cognoscentibus suam miseriam: & amplius væ illis, qui diligunt hanc miseriam* c).

B 4

§. XX

a) Lib. 3. Cap. 26. n. 4.

b) Est propositio inter damnatas numero 8va comedere, bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem. Non est peccatum. c) Lib. 1. Cap. 22. num. 3.



§. XX. Quemadmodum vero genuinus iste, ac obuius litteræ sensus spectato auctoris scopo, atque contextu omnino convenientissimus est: ita non erat, cur ob alium latentem, quem fors littera repugnante Censor eruisse sibi visus est, publicam Anonymus noster reprehensionem referret. Profecto enim sicubi de orthodoxia, aut doctrinæ sensu alicujus scriptoris alias probatissimi quæstio suboritur, æquitas postulat promptiores nos esse debere ad eum absolvendum, ac excusandum saltem, si modo littera ipsa aperte non respuit, uti heic certe non respuit, sensum insontem. Hæc æquitatis lex, uti apud probos omnes interpretes communi usu recepta est, atque firmata: ita illa non est, cujus observantiam Ictum nostrum nunc demum flagitare necesse sit. Istud tamen ceteroqui rogandus, ne, quod supra cavendum lectorem monebat S. Hilarius, ne, inquam, deinceps cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem totius libri præsumpserit intelligendum.

CAPUT III.

Ab inconsulta erroris censura vindicatur Ascetæ doctrina de hominis impotentia vitandi peccata, ex hujus cum dogmate catholico a præcipuis Ecclesiæ Patribus, & doctoribus tradito, & in Synodo Tridentina definito analogia ac conformitate. Ob defectum sufficientis ad hanc analogiam attentionis excusandus catholici Icti inconsultus error.

§. XXI. **H**is itaque minoris momenti accusationibus prævie explosis, ac solide, ut quidem nobis videtur, refuta-

lutatis; ad vindicandam porro ab irrogata *erroris* infamia Anonymi nostri orthodoxiam jam accingimur. Hanc igitur advocacionis spartam subituri, accusationem Cl. Jcti prius audiamus. Est vero hæc confectarium lemmatis Positione VII. inter *Rudimentales ex jure naturali* his verbis contexti:

„ Posita existentia legis naturæ humanæ, vilegis
 „ naturæ universæ poni debent vires naturales cognos-
 „ cendæ, ac adimplendæ obligationis naturalis; *ipsum*
 „ itaque *Fus naturæ inficiantur*, qui naturæ humanæ vi-
 „ res naturales negant juri naturali servando sufficientes.
 „ Negant autem omnes, *qui contra essentialem rerum or-*
 „ *dinem asserunt*, hominem legem Dei servare, & sine
 „ peccato vivere non posse. “ *) Inde porro confecta-
 neum facit:

Tædio vitæ præsentis, aberravit Asceta meus.
Quamdiu, inquit, hoc fragile corpus gerimus, sine
peccato esse non possumus. Anonym. de Imit.
 Christi Lib. 1. Cap. 22. §. 5.

§. XXII. Dissimulato heic interim Positionis lem-
 mate, de quo peculiaris nobis erit differendi locus, ubi
 huic oppositam Ecclesiæ doctrinam adversus Jcti cen-
 suras

*) Contendit igitur Theseos auctor: ad totius juris natura-
 lis observantiam sufficere naturales naturæ humanæ vires,
 consequenter per easdem vires totam Dei legem servari,
 vitamque humanam (etiam in præsentî naturæ corruptæ sta-
 tu prout per subjectam in Anonymum censuram clare in-
 nuït) ab omni peccato immunem transigi posse. Hæc enim
 propositionum *universalitatem* principium ipsum exigit,
 ex quo eas deduxerat, ait enim: *vi legis natura universæ*
poni debent vires cognoscendæ, & adimplendæ obligatio-
nis naturalis; hæc autem omni legi naturali propriam
 esse per se manifestum est. Quid? quod propositio in-
 definita, universali æquipolleat.



furas ibidem expressas data opera vindicaverimus; nunc solum ad theologica discussionis trutinam expendenda venit Ascetæ nostri enunciatio, & quam inmerito, quamque prorsus inconsulto, nedum temere *erroris* postuletur, demonstrandum. Imprimis igitur ut huic Ascetæ Propositioni: *quam diu hoc fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus*: ut, inquam, huic assertioni sua constet veritas, nec nisi temere eam erroris postulari posse convincamur; satis esse reor, si demonstraverimus, negari sine nota temeritatis a viro catholico non posse: *dari quoddam peccatorum genus, quod nemo hominum, & si etiam justus sit, effugere ac devitare possit, quamdiu hoc fragile corpus gerit*; prout vel nuda terminorum consideratio id per semet manifestum facit: atqui vero re ipsa nihil isto videtur demonstratu facilius. Enimvero temeritate non caret apud catholicos quidpiam eorum abnuere, quod in materia dogmatica SS. Patres, & Ecclesiæ doctores unanimi consensu constanter affirmant: sed vero dari tale aliquod peccatorum genus, quod sine temeritatis nota negari non posse diximus, iidem SS. Patres, ac cumprimis Ecclesiæ Doctores verbis saltem *formaliter æquivalentibus* reapse unanimiter affirmant: est enim hæc eorum definitiva nullo repugnante sententia: *esse peccata, quæ a justis vitari nequeant: vitam justorum, quamdiu carnem portant, sine crimine, non tamen sine peccato saltem leviori, seu veniali esse posse.* Ac proinde &c.

Viderit ergo catholicus Jctus, qua ratione censuram, quæ isthic sponte se offert, effugiat, dum Ascetæ sui doctrinam a SS. Ecclesiæ Patribus terminis formaliter æquivalentibus expressam publice *erroris* damnat.

§. XXIII. Sed ne qua de vera SS. Patrum mente dubitandi causa supersit, illorum jam de hoc argumento



mento testimonia audire paulisper lubeat. Proferemus autem eas solum quatuor Ecclesiæ Doctorum, Patrumque sententias, quæ brevitate non minus, quam perspicuitate ceteris adeo præstant, ut absque ullius commentarii ope earum sensum assequi facili quisque negotio possit. Ex his ætate prior nobis audiendus est S. Hieronymus, qui in Jeremiæ Cap. 17. commentans tacito nomine Pelagium perstringit, quod confinxerit, *posse hominem sine peccato esse, si velit*, id quod etiam latius refellit in Dialogo contra Pelagium, atque demum alibi contra Pelagianos ita statuit: *Quam diu ille finis adveniat -- necesse est, nos subjacere peccato.* a) S. Ambrosius quamvis Lib. I. in Lucam, eos, qui dicerent, hominem sine peccato frequentius esse non posse, damnasset; postea tamen, interprete S. Augustino, b) suam sententiam minutius discutiendo correxerit: nam in Isaiam commentans aperte fatetur: *neminem in hoc mundo esse posse sine peccato* c). S. Augustinus huic suo in fide Magistro consentiens, non minus perspicue sua hac de re sensa exprimit, ait enim: *vita justorum esse potest sine crimine, sed non sine peccato*: d) item alibi: *non potest homo, quamdiu carnem portat, non habere leviora peccata* e). Denique S. Gregorius Mag. disserte pluribus locis idem affirmans ait: *sciendum est, quod sunt peccata, que a justis vitari non possunt*: f) *in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet*: g) *humana vita sine culpa transigi nequaquam potest.* h) Quare merito S. Augustinus tres inter doctrinæ articulos

- a) Lib. 2. contra Pelagianos. b) Lib. de gratia Christi Cap. 48 & 49. c) Hunc Commentarium Ambrosii, quem S. Augustinus pluribus aliis locis citat, & cujus etiam ipse S. Ambrosius Lib. 2. in Lucam Num. 56. ad Cap. 2. v. 19. meminit, non amplius exstare notant PP. Mauriani. d) Enchir. 64. e) Tract. I. in Joan. f) Lib. 18. Moral. Cap. 5. g) Lib. 21. Moral. Cap. 9. h) Homil. 17. in Evangl.



los, quos maxime adversus Pelagianos defendit Ecclesia, hunc secundo loco commemorat: *In quantacunque justitia, sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere a)*, nempe defectu potentiae moralis cum effectu conjunctae.

§. XXIV. His porro praecipuis Ecclesiae Luminaribus adjungendus demum S. Thomas, qui etsi non Patris, Ecclesiae tamen Doctoris praerogativam omnium novissimus indeptus est: is quippe non solum uti in ceteris, ita & in hoc doctrinae capite antesignanis suis Collegis consentanea tradit, sed & hujus doctrinae rationem convenientem profert, dum de homine *per gratiam sanctificantem reparato* ita docet: *in quo quidem statu -- non potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, & ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii, non autem omnes: quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, & quia ratio non potest esse semper pervigil.* b) Et hanc fere rationem olim etiam S. Hieronymus contra Pelagium attulit; quum enim dixisset: *quam diu ille finis adveniat -- necesse esse nos subjacere peccato*: mox Pelagii ad naturam hominis conditi id referentis calumniam retundens ait, hanc necessitatem evenire: *non naturae & conditionis, ut tu calumniaris, vitio; sed fragilitate, & commutatione voluntatis humanae, quae per momenta variatur.* c)

§. XXV. Quum igitur SS. Patrum praecipui in illo, quem diximus, doctrinae articulo, nemine contradicente mire consentiant, eandem vero doctrinam laudata Anonymi propositio secundum obvium ac natu-

a) Lib. de dono persever. Cap. 2.

b) I. 2. Quaest. 109. art. 8. c) Cit. Lib. 2. contra Pelagianos.



turalem sensum intellecta iisdem fere verbis omnino exprimat; quis amabo sibi de Cl. Censore persuadeat, eum adeo adhuc morosum, aut illiberalem, nedum temerarium futurum, ut hos insignissimos Ecclesiæ Viros juxta proprium præjudicatæ opinionis modulum eadem, qua Ascetam suum, censuræ metiri decempeda velit? aut tantum ne eruditionis sibi arrogabit, ut, quod S. Pacianus jure improbat, *suam auctoritatem Patre potius sequantur? num ergo emendanda Sanctorum cedit antiquitas, & jam putrescentia vitis tempora canos apostolicæ antiquitatis eradent a)*? Quod si vero sano rectoque ista sensu eos scripsisse, uti oportet, fateatur; eandem etiã nos ob verborum analogiam erga Ascetam nostrum æquitatem, per alibi jam commendatam æquitatis in interpretando observandæ regulam (§. XI. & XX.) a Cl. Jcto jure optimo postulabimus. Interim heic admodum cum S. Bernardo mirari subit: *si novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventionum invenire in hoc rationem potuerit, quæ SS. Patres latuerit. b)*

§. XXVI. Atque hinc porro patet Censorem Cl. in eas demum redactum esse angustias, ut aut cum agnitione propriæ in doctrina Patrum inscitæ inflicta erroris censura Ascetam suum absolvere, suisque consequenter renunciare principiis necessario debeat: aut certe, si animo in his obfirmato suam nihilominus defendere censuram perfractæ velit; tum hocipso laudatos Ecclesiæ Patres atque Doctores sanctissimos, non sine manifesta extremæ temeritatis nota, pari erroris infamia multare teneatur. Quam sit autem istud a viri probe catholici dignitate nedum religione alienum? dispici facile poterit ex iis, quæ jam alias circa hoc argu-

a) Epist. 1. ad Sempron., b) Epist. 77. ad Hugon.



argumentum Doctiss. *Petavius* opportune animadvertit, cui tantæ Patrum consensus visus auctoritatis fuit, ut palam profiteri non dubitaverit: „ Neque probo, & „ catholico dignum Theologo (aut jurisconsulto) vi- „ detur, prodere antiquitatis partes, si minus adver- „ santium impetum sustinere possit: cum quidvis per- „ peti satius sit, ac vel incertam in eo dissolvendo, „ quod contra ponitur, fateri suam, quam ab illius „ auctoritate ultro & consentem recedere. Est enim „ e catholice sentiendi, loquendique regulis hæc una, „ quam sacrosancta Concilia, & Ecclesiæ p. idem totius „ Decreta fixerunt, in quibus sæpe ita p. ositentur: nolle „ se præter ea, quæ communiter antiqui Patres judi- „ carunt, de propositis quæstionibus ac fidei rebus „ exponere. “ a) An quæso minoris in Antiquitatem observantiæ esse liceat catholico Jcto, quam Theologo cuique catholico?

§. XXVII. Ad magis confirmandum doctissimi hujus Theologi de Patrum auctoritate iudicium proderit quoque ea istuc transcribere, quæ jam olim *Vincentius Lirinensis* in præclaro suo adversus hæreses Commonitorio opportune his verbis commouit: *Necesse est omnibus catholicis, qui sese Ecclesiæ legitimos filios probare student, ut SS. Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur; profanas vero novitates detestentur, horrescant, persequantur. Concilio enim Ephesino divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuisset auctoritas. Quam ob rem idem recte concludit: Antiqua SS. Patrum consensus - - - in fidei regula nobis certo est sequenda, atque in his præcipue quæstionibus, quibus catholici dogmatis fundamenta nituntur. Atqui vero, ut jam supra (§. X.) ex S. Au-*

a) Lib. VI. Cap. 4. §. 9,

Augustino vidimus, quæstiones illæ: *quid natura ex Adamo contracta possit? quid gratia per Christum operetur in nobis? totius fidei christianæ fundamenta sunt.* In his ergo quæstionibus ab antiqua SS. Patrum consensione Viro catholico neutiquam recedendum, sed quod hac in re eorum firmaverit auctoritas religiosissime observandum esse, haud puto, abnuet catholicus Jurisconsultus Juris Pontificii probe gnarus; nisi fors nullam rationem habendam putaverit Hormisdæ P. Canonis provide monentis: *Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & a constitutis Patrum nullatenus deviare a)*; aut nisi plane nihil deferendum duxerit auctoritati Decretalis Gregorii XI. juxta quam contra sapientis præceptum: *Prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit b)*, aut nisi demum flocci habendam censuerit glossam ord. secundum quam: *Sapiens est apud semetipsum: qui in illis, quæ ex Patrum magisterio potuit recte cognoscere, sese præ ceteris quasi doctior extollit c).*

§. XXVIII. Sed quod catholici Censoris nostri causam heic multo deteriorem facit, istud demum procul dubio est, quod illa sua in Anonymum censura severitate non SS. Patrum modo; sed & dogmatico universalis Ecclesiæ judicio definitam in Synodo Tridentina doctrinam improvide adoriatur, peculiari Canone his verbis formaliter æquivalentibus expressam: *Si quis*

- a) In C. 9. XXV. qu. 1. b) Collect. Decret. Gregorii XI. Pp. Lib. I. Tit. II. Cap. 5. c) Hæc sententia continenter adjicitur proxime præcedenti ab auctore Commentariorum in *Proverb. & Parabolas*, quæ S. Hieronymi nomine vulgo circumferuntur, quæ autem potius Bedæ, vel Philippo presbytero tribuenda existimant Viri eruditi. Vid. Calim, Oudin, Ell. Dupin. Guil. Cave.



quis hominem semel justificatum dixerit - - - posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia: anathema sit a). Nemo non videt dogmatis hoc canone definiti summam hanc esse: hominem, quoad vivit, sive peccatorem, sive justificatum, etiam prædestinatum, omnia vitare peccata, seu sine peccato esse non posse. Sed neque minus evidens est, huic assertioni formaliter æquipollere illam Anonymi: *quandiu hoc fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus*; utrobique enim ut consideranti sub aspectum, tactumque cadit, res eadem verbis solo duntaxat expressionis modo diversis, sed idem plane significantibus effertur. *) Quare si de
Cl.

a) Sess. 6. can. 23.

*) Ex hujus Canonis tenore colligitur: non sufficere statum justitiæ, ut homo justificatus toto vitæ tempore peccata omnia, adeoque & mortalia per gratias ordinarias, seu, ut scholæ vocant, sufficientes, multoque minus per solas naturæ vires, potentia nempe *moralis* cum effectu conjuncta vitare possit: Patet istud ex Canone immediate præcedenti, quo definitur: *Justificatum sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare non posse*, consequenter nec omnia peccata mortalia vitare: siquidem non aliter, quam lethaliter peccando accepta deperditur justitia. Eundem sensum etiam præsentis Canonis contextus satis innuit per verba *etiam venialia*: nam particula *etiam* istic redundaret, si, dum hominem justificatum *in tota vita* omnia peccata vitare non posse definitur, de solis peccatis venialibus intelligi Synodus voluisset. Sensus ergo laudati Canonis est: hominem justum cum ordinariis gratiæ auxiliis, non posse *in tota vita* vitare omnia peccata sive mortalia, sive venialia; sed ad mortalia toto vitæ tempore vitanda opus esse *efficaci perseverantiæ* dono electorum, seu prædestinatorum proprio; ad vitanda autem *venialia* in justis etiam prædestinatis requiri præterea auxilium *extraordinarium*, nemini hæctenus, unicam si excipias B. Virginem, sine speciali privilegio concessum, aut facile con-

Cl. Cenforis sententia *erroris* damnandus est Asceta suus, ab eadem consequenter *erroris* censura absolvi Tridentina Synodus apud tribunal suum omnino non poterit.

§. XXIX. Quoniam igitur de veritate catholici dogmatis vel minimum ambigere a viri probe catholici religione alienum est, imo, si scienter, dediraque opera id fiat, animum prodit plane hæreticum: inde, credo, jam sponte agnoscet vir clarissimus, eam sibi tandem impositam necessitatem, ut si recte sibi constare, & anathemati Tridentino suum subducere caput velit, suæ pariter in Anonymum censuræ palinodiam canere, nec nisi solo animi ad fidei analogiam non advertentis obtentu suam excusare allucinationem propriis licet ingratis necessario debeat, atque demum ingenue fateri verissimam esse, utpote definito Ecclesiæ dogmatis prorsus consonam, hanc Ascetæ nostri doctrinam: *quandiu hoc fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus.*

§. XXX. Neque vero excusandæ tam manifestæ aberrationi quidquam profuerit ad diversos utriusque sensus recurrisse; tanquam si alio sensu S nodus, alio Anonymus: *hominem quoad vivit, sine peccato esse non posse, docuisset.* Quum enim utriusque assertio terminis formaliter, quoad sensum æquipollentibus, minimeque ambignis expressa, (§. XXVIII.) non nisi unum eundemque nativum ac obvium reddere sensum possit: nequit profecto salva prioris orthodoxia, erroris altera damnari, nisi illi sequiorem, deterioremq; sensum littera repugnante per vim attribuere malis. At ubi littera sensum deteriore, imo erroneum aperte respuit;

C

hunc,

concedendum. Patet igitur ad omnes omnino pertinere verissimum illud Ascetæ dictum: *quandiu hoc fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus.*



hunc, innocente, proprio, ac obvio alte dissimulato, Auctori palam tribuere, affingere, hoc, inquam, animi minime ingenui, malique viri character est. Qui cum ingenue Cl. Censoris indoli prorsus non congruat, alia proin excusationis via quaerenda est; ne is secus apertis oculis, animoque deliberato Ecclesiae doctrinam deseruisse videri possit; siquidem ad Tridentini Canonis ignorantiam errorem conjicere catholico Juris utriusque perito aequè probrosum foret; quamquam ceteroqui nemo sit, qui scire omnia, nullius oblivisci, & nunquam errare in aliquo sibi tribuat.

§. XXXI. Quam ob rem aequitati congruere visum nobis est Censoris errorem, alioqui minime excusandum, ita saltem extenuare, ut non quidem ex supina Tridentini Canonis ignorantia, sed magis ex quadam animi quasi aliud agentis, atque adeo ad dogmaticam universalis Synodi definitionem, ut sumus homines, non advertentis oscitatione, definito Ecclesiae dogmati per latus Anonymi teterrimum erroris stigma inconstulte quidem, sed haud perversa voluntate, aut animo in obsequium fidei & Ecclesiae imparato, nec consequenter dedita opera inuisse censendus sit: quippe qui stabilitis a se Principiis nimio opere intentus, & fors plus justo confusus, malas doctrinae suae consecutiones haud satis cogitatione praeeperit. *) Optamus ergo, ut agni-

*) Sequimur hac in parte celeberrimi *Muratorii* consilium, is enim in laudato opere *de Ingeniorum moderatione in religionis negotio*. Lib. 2. Cap. 13. ubi a Capite 7mo *civilem religionis seu haereticorum, ac sectariorum tolerantiam adversus Pheroponum* fuscè resutat; is, inquam, quum monuisset errare etiam homines posse in ipsam Christi & Ecclesiae doctrinam; mox ita prosequitur: „quod quum accidit, considerandum est; num ex ignorantia, & incuria, an vero ex perversa voluntate, de-



agnito tandem errore suo cum S. Augustino ingenue confiteatur: *seductus inani Philosophiâ, volui humana ratione intelligere, quod pia mens vivacitate fidei nititur apprehendere.*

C 2

CA-

ditaque opera se conjecerint in errorem sibi certe perniciosum. Si apertis oculis a Dogmate catholico discessum est, nemo neget; quin hujusmodi crimen castigatione, gravique reprehensione sit cum primis dignum - - atsi ignorantia & incuria errantes fecit; - - tum quicumque errat, animo interim veræ fidei, & Ecclesiæ catholicæ conjunctissimo, falsa dogmata non amplexurus, non propugnaturus; si ea sciret aversa a schola Christi, & a disciplina, ac mente Ecclesiæ, & ut scit, ea illico execrans: cur rigide excipiendus apud homines, quum nullo apud Deum crimine idcirco is teneatur, nisi de dogmatibus iis præcipuis sit res; quæ nescire suapte natura peccatum est; & nescire Christianus homo non debet? Exploranda igitur sedulo est errantium voluntas. Quod si promptus in obsequium fidei, & Ecclesiæ illorum animus deprehenditur; vel dum errant, edocendi sunt sententiam, monendi, ut a sermonibus, (vel descriptionibus) abstineant gravissimarum rerum, dum sibi majorem prius non compararint eruditionem theologicam; & excusanda facile ingenii infirmitas, aut ignorantia (sed in Censore nostro solius potius *inadvertentia*) inconsultus error."



CAPUT IV.

Haud excusando dogmatis errore laborat Cl. Jcti doctrina de virium naturalium, absque medicinali Christi gratia, ad legis observantiam, & devitationem peccati sufficientia. Hoc doctrinae caput surculus esse videtur Pelagiani erroris a S. Augustino, & a Palestinae & Africae Episcopis synodaliter reprobati, atque damnati, si ad vitiatam hominis naturam referatur. Ad hanc respexisse Positioinum inauguralium auctorem, dubitare non sinit subjecta in Anonymum censura. Quod magis elucet ex ejus soliloquiis metricis nuper editis, ubi ab imputata Pelagiana haeresis nota thesimum suam vindicaturus in geminum facti sc. & dogmatis errorem incautus impegit.

§. XXXII. **V**indicata hoc pacto Ascetæ religiosissimi orthodoxia, ad theologici fori tribunal jam revocanda nunc est Cl. Jcti singularis Positio, qua is naturæ humanæ vires naturales Juri naturali servando sufficientes inesse, atque adeo hominem per easdem utique vires naturales legem Dei servare, & sine peccato vivere posse adeo præfidenter asserit, ut aliter statuentes, ceu inficiatores Juris naturalis, & velut essentialis rerum ordinis inverfores palam perstringere nihil dubitet. Ipsum, inquit, jus naturæ inficiantur, qui naturæ humanæ vires naturales negant, juri naturali servando sufficientes: ne-

gant vero omnes, qui contra essentialem rerum ordinem asserunt, hominem legem Dei servare, & sine peccato vivere non posse. (§. XXI.) Quod posterius erronee asseri existimat, hujusque Assertoribus Anonymum accensens, eum propterea, ut vidimus, erroris damnat.

§. XXXIII. At heic meminisse iterum debuisset Vir clarissimus, posteriorem illum, quem in Anonymo suo redarguit, doctrinæ articulum, non nudius tertius primum doceri cœptum; sed jam diu ante Anonymum, ut supra vidimus, a SS. Patribus expressis verbis fuisse traditum, (§. XXIII. XXIV.) ac postea a Patribus Tridentinis synodaliter definitum, (§. XXVIII.) quin tamen in eo quidquam *essentiali rerum ordini contrarium* ulli hucusque Catholicorum in mentem venerit suspicari; cum cuivis catholico exploratum esse debeat: Ecclesiam definitionibus dogmaticis complecti nihil posse, quod sit *essentiali rerum ordini contrarium*; nisi dicere velis Ecclesiam definire quidquam posse *contrarium legi æternæ*, quæ Augustino teste, *est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbavi vetans a)*. Quoniam igitur absque ullo *essentialis rerum ordinis* præjudicio post Tridentinum fidei decretum asserere quisque catholicus tuto potest, ac debet: *neminem in hac vita sine peccato vivere posse, nec consequenter totam Dei legem, quoad vivit, per proprias vires posse servare*: siquidem omne peccatum est *transgressio legis æternæ*, seu, ut Augustinus ait: *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*: b) *)

inde jam sponte consequitur, immerito ceu *juris natu-*

a) Lib. 22. contra Faustum Cap. 27. b) Ibidem.

*) Dicitur omne peccatum transgressio legis æternæ Dei, quod omnis lex a lege æterna dimanet: ac ideo quancunque legem quis transgreditur, a lege æterna Dei mediate saltem degenerare censetur.



re inficiatores traduci, qui naturæ humanæ, in præfenti corruptionis statu, vires naturales negant juri naturali servando sufficientes, quique propterea Juris naturalis, totiusque divinæ legis observantiam Deo in acceptis referendam edocti, auxilium divinæ gratiæ cum Ecclesia implorant, ut in exequendis divinis mandatis, & voluntate, & actione placeamus.

§. XXXIV. Hinc vero jam patet, memoratam auctoris Thesum consistere aliter cum veritate haud posse, nisi aut ad naturam humanam, secundum se consideratam, seu ab omni statu, adeoque ab illa bene agendi difficultate ac infirmitate, in quam per peccatum incidimus, præscindentem; aut ad humanam naturam in primævo integritatis statu, a quo homo peccando exciderat spectatam, referatur, in quo statu teste S. Augustino, *primus homo, in eo bono, quo factus est rectus, acceperat posse non peccare.* Hoc enim supposito nullus fors esse posset controversiæ locus; siquidem farente eodem S. Doctore: *tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipso concupiscentialiter resistebat, ut digne tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati, perseverandi (nempe in bono, quod acceperat) committeretur arbitrium a).* Quamvis ex eodem S. Augustino, *& tunc esset adjutorium Dei, & tanquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant, se præberet volentibus: b)* Natura enim humana, *etiã nisi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adjuvante, servaret c)* In eo tamen a gratia præfentis status illa diffe-

a) Lib. de Corrept. & gratia Cap. 12. b) Lib. de natura & gratia contra Pelag. Cap. 48. n. 56. c) Epist. 186. alias 106. ad Paulinum. Iisdem Augustini verbis conceptus est Can. 19, Concilii Arausiacani II.,

differebat, quod ut idem S. Doctor asserit, ea solum feret, ut homo habeat justitiam, si velit, *secunda autem plus possit, qua etiam fit, ut velit.* d)

§. XXXV. Quoniam vero natura humana ab omni statu præscindens mere idealis est; status autem integritatis amplius non existit, nec unquam existurus est: hinc sumere tuto licet, Positionis illius auctorem ad neutrum horum respicere aut potuisse, aut voluisse; sed ut ex subjuacta in Ascetam suum cursura manifestum est, præsentem duntaxat nature corruptæ statum animo spectasse, in quo Augustino rursus attestante, postquam est illa magni peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas e). Ad hunc igitur statum redacta Thesi, dum hominem per vires naturales Furi naturali, servando sufficientes, legem Dei servare, consequenter sine peccato vivere posse Vir Cl. contendit; jam hocipso herbam Pelagio gratiæ inimico manifeste porrigit; nec proinde, quod istic repynamus in præsens accommodatius nobis succurrit, quam illud S. Augustini adversus eundem Pelagium: *Quia de hac vita disputat (Pelagius & cum eo catholicus Ictus) ubi corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantem; miror, quo corde, etiam sine adjutorio medicine Salvatoris nostri, nostrum putet esse non peccare; posse vero non peccare nature esse contendat, quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc majoris vitii sit, non videre, f) & rursus: nunc, inquit, agitur de natura, quæ vitiata est; agitur & de gratia Dei, quæ sanatur per medicum Christum, quo non indigeret, si sana esset, quæ ab isto (Pelagio) tan-*
C 4 quam

d) Lib. de corrept, & grat. Cap. 50.

e) Lib. de Corrept. & gratia Cap. 12. f) Lib. de Nat. & gratia contra Pelag. Cap. 48.



quam sana, vel tanquam sibi sufficiente voluntatis arbitrio posse non peccare defenditur. a) Quod argumentum S. Doctor toto hoc libro profequitur, ut contra Pelagium demonstret non per naturales vires, sed per gratiam Christi quemquam esse posse sine peccato. Opposita igitur Jcti doctrina quid, amabo, aliud, quam repululens erroris Pelagiani furculus est? non secus ac olim teste S. Hieronymo b) illa Pelagii Origenis erat ramusculus, isque graminum similis, quæ rescissa sobolescunt, & exusta suis cineribus seruntur, uti scite observat Garnerius c).

§. XXXVI. Quod si quis obtendere fors vellet, eundem S. Doctorem subinde commonuisse: non esse eis continuo incauta temeritate obfistendum, qui dicunt: esse posse in hac vita hominem sine peccato: d) neque nos propterea unquam litem contestabimur, modo hanc non peccandi possibilitatem non naturæ viribus, sed gratiæ Dei per Christum partæ in acceptis referendam esse cum S. Augustino sincere fateatur: is enim Cœlestium Pelagii discipulum refellens: Nullum, ait, de his verbis esse debere conflictum: quia non est ausus dicere hominem esse sine peccato, vel aliquem, vel seipsum, sed tantummodo esse posse: quod neque nos negamus. Quando autem possit, & per quem possit, hoc quæritur &c. Nam si per seipsum potest homo esse sine peccato; ergo Christus gratis mortuus est. Non autem gratis Christus mortuus est; non igitur potest homo esse sine peccato, etiamsi velit, nisi adjuvetur gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. e) Et alibi inquit: si a me quærat, ut ne homo sine peccato esse possit in hac vita? confitebor posse per Dei gratiam, & libe-

- a) Ibid. Cap. 63. b) Epist. ad Ctesiphontem. c) Dissert. 4. in Marium Mercat. Cap. 1.
d) Lib. 2. de peccat. merit. Cap. 6. n. 7. e) Lib. de perfectione Justitiæ Cap. 7. n. 16.



liberum arbitrium. a) Denique Juliano subinde respondens: *Dico ergo, inquit, esse possibile voluntati hominis deflectere a malo, & facere bonum: sed ei voluntati, quam Deus adjuvat gratis, non quam Julianus instat ingratus b).*

§. XXXVII. Hæc porro Dei gratia, quam S. Augustinus ad vitanda peccata commendat, non est sola gratia *habitualis* seu justificans, qua peccata formaliter remittuntur, aut sola *actualis*, quæ ad justificationem nos perducit, & in justitia conservat; sed etiam *actualis*, quæ adjuvat, ne peccata committantur, unde in Juliano Pelagianos propterea impugnans: *Tu, inquit, a vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Jesum Christum D. N. sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, & desideria carnalia vincenda, diffundendo charitatem in cordibus nostris.* c) Et vero gratiam *habitualement* seu *sanctificantem* solam non sufficere, ut etiam *justus* legem Dei servare, consequenter sine peccato vivere possit, sed ad hoc præterea requiri gratiæ *actualis* auxilium, oculi corporei exemplo idem S. Doctor ita declarat: *sicut, inquit, oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere;* d) nec proinde mandata Dei servare, nec peccata vitare; siquidem non aliter, nisi illa servando, hæc declinando quisquam recte vivere censendus est.

§. XXXVIII. Dum *actualement* Dei gratiam ad recte vivendum necessariam dicimus; non tamen propterea negamus, gratiam *habitualement* recte dici posse *remotum*

- a) Cit. Lib. & Cap. de peccat. merit. b) Lib. 3. contra Jul.
c) Lib. 6. contra Julian. Cap. 23. d) Lib. de Nat. & grat. Cap. 26.



rum saltem sanctæ operationis principium. Sicut enim Deus Sapientiæ suæ debet, ut naturam non condant, nisi illi etiam tribuat facultates naturales, media illi suppeditet, concursumque suum præbeat, ut, ad quem ordinata est, assequi finem possit; sic quoque ad ejus sapientiam, justitiamque pertinet, ut gratiæ sanctificanti respondeant auxilia, sine quibus non impletur lex, ad quam gratia sanctificans suapte natura inclinatur. Quare S. Augustinus expendens illud Psalmi 7. *Justum adjutorium meum a Domino: Duo sunt, inquit, officia medicinæ; unum, quo sanatur infirmitas, alterum, quo sanitas custoditur. — — Ibi infirmus, ut liberetur; hic sanus, ne corrumpatur, orat: ibi ut a morbo evadat, remedium; hic autem, ne in morbum incidat, tuitionem petit. Itaque ibi misericors auxilium, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat; — — hic autem justum auxilium est, quod jam justo tribuitur. Dicat ergo peccator: salvum me fac Domine propter misericordiam tuam: & dicat justus: justum adjutorium meum a Domino. *) Uterque igitur tam peccator, quam justus indiget medicinali gratia Dei, ut recte vivere, quod est legem Dei servare, & esse sine peccato possit, quamdiu hoc fragile corpus gerit: nam ex eodem S. Præfule: sanat Deus non solum, ut deleat, quod peccavimus, sed ut præstet etiam, ne peccemus a).*

§. XXXIX.

a) Cit. Lib. de Nat. & gratia Cap. 26.

*) Nota, dum S. Doctor istic misericordiæ Dei tribuit, cum peccatorem; justitiæ vero, cum justum adjuvat; nomine justitiæ eum intelligere fidelitatem; siquidem apud Theologos expedita res est, justitiam proprie dictam in Deum cadere non posse; cum nulla creatura in ipsum jus strictum possit acquirere: quia alioqui dominium ejus minueretur. Unde idem S. D. Lib. 1. Confess. Deum sic affatur: *Reddis debita, nulli debens.* Debita, inquam, ex fidelitate, non vero ex jure activo creature. Atque hinc concludunt Theologi: justis gratiam sufficientem non denegari cum præceptum instat, aut tentatio urget.

§. XXXIX. Quæ de hoc argumento S. Augustini, eadem & cœvorum Patrum firma, ac constans adversus Pelagium sententia fuit. Qua de re animadversione cum primis dignum est, quod idem S. Præsul in Libro *de gestis Pelagii* fuse prosequitur, ubi inter alia istud præcipue observat: Pelagium subdola confessione Synodi Pales-tinæ Patribus illulisse, quod diceret: *posse hominem esse sine peccato, & Dei mandata custodire, si velit.* - - *Quoniam a peccatis conversus, proprio labore, & Dei gratia possit esse sine peccato.* Illi enim æstimantes eum locutum de gratia, *qua in novam creaturam adoptati sumus; & quæ non est natura, sed qua subvenitur fragili, vitiatæque naturæ;* a) De sola vero gratia naturæ, *in qua creati sumus a Deo cum libero arbitrio, eum loqui ignorantes, hæreticum tanquam catholicum absolverunt.* b) * Quare si hujus synodi Patres nihil fraudis in subdolis Pelagii verbis suspicati, dolo detecto cognovissent, *hanc eum dicere Dei gratiam, quod possibilitatem non peccandi natura nostra, cum conderetur, accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio* c); procul dubio illam ejus confessionem ceu hæreticam, ipsumque Pelagium velut hæreticum nihil morantes condemnassent. At nihilominus observat idem S. Augustinus: *Pelagio licet apud homines absoluto, hæresim tamen ipsam divino judicio semper damnabilem, etiam judicio quatuordecim Episcoporum orientalium esse damnatam,* d) auctorque nobis est, *ut propterea gaudeamus, & Deo gratias agamus, laudesque dicamus* e).

§. XL.

- a) Lib. cit. Cap. 7. n. 20. b) Ibid. Cap. 10. n. 22
c) Ibid. & Lib. de Nat. & grat. Cap. 45. &c. d) Lib. de Gestis Pelagii Cap. 39. n. 59. e) Ibid. Cap. 35. n. 65. in fine. De Synodo Diospolitana vide Admonitionem Libro de gestis Pelagii præmissam in Editione Mauriana Operam S. Augustini.

*) Ex citatis porro S. Augustini verbis, aliisque per decursum proterendis discere potest CL. Jctus, illam Pela-



§. XL. Nec minus perspicua sunt hanc in rem testimonia aliarum Synodorum Africanarum, quæ contra Pelagianos celebratæ fuerunt, quas inter duæ Carthaginenses præ cæteris magis memorabiles. Prior sub Aurelio Primate an. 416 habita præsentibus 68. Episcopis, cujus solum existat Epistola Synodica ad Innocentium I. Pp. in qua Patres de his, quæ anno 412 Carthagine, & an. 415 Diospoli gesta fuissent, nec non errorum Pelagii Pontificem certiore reddidere. In hac tria memoratu digna referuntur. 1.) Pelagianos hæc de causa fuisse damnatos, quod docerent: *in eo Dei gratiam esse deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit complere, sive NB. naturaliter in corde scriptam, sive literis datam.* 2.) Satis apparere, ajunt, quod ad non peccandum, id est, ad non male faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis; tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas. 3.) Damnationis sententiam his verbis proferunt: *quicumque dogmatizat, & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata, & mandata Dei faciendam sufficere posse naturam &c. anathema sit.* a) Hæc autem Synodica Decreta Innocentium I. sua auctoritate confirmasse, patet ex ejus Epistola ad Concilium Milevitanum

gii propositionem: *homo solis naturæ viribus legem divinam servare potest sine gratia Dei, neutiquam fuisse de subiecto non supponente, prout sibi persuadet idem Clariss. in Soliloquiis suis metricis an. 1783. Pragæ vulgaris pag. 21.* Ex dictis enim liquido patet, Pelagium vires naturales liberi arbitrii a notione gratiæ non excubuisse, sed tamen præter gratiam naturæ, gratiam Christi ad observationem divinæ legis necessariam constanter negasse.

- a) Eodem fere modo loquitur Innocentius I. in Epistola ad utramque Synodum Carthaginensem, & Milevitanam, quæ inter Epistolas S. Augustini sunt 91. 93. nunc 180. & 182.

vitanum circa idem tempus a 61 Numidicæ Episcopis celebratum data, quæ est 93 inter Augustinianas, ubi de Pelagianis scribens ait: *Negantes Dei auxilium inquirunt, hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata sola tantummodo libertate contendat. O! pravissimarum mentium perversa doctrina! &c.* Cujus assertores ibidem censet ecclesiastica communione privandos.

Altera vero Carthaginensis plenaria totius Africæ sub Aurelio Primate Episcoporum CC. & ultra, anno 418. celebrata Can. IV. ita definit: *Quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt; non etiam ad adiutorium, ut non committantur; anathema sit.* a) Item: Can. V. *Si quis dicat eandem Dei gratiam per Jesum Christum nos adjuvare, ne peccemus, in eo solum sensu, quod nos doceat, quæ præcepta sunt, ut sciamus, quænam inquirere debeamus, & quænam devitare; non vero eandem nobis dare, ut etiam illa, quæ facienda cognoscimus, amemus, & facere possimus, Anathema sit!* b) Notandum vero nomine gratiæ, in qua
justi-

- a) Doctrinam hoc canone contentam confirmavit Cælestinus Pp. una cum cæteris hujus Synodi articulis Epist. I. ad Episcopos Gallicæ Cap. 10. quod incipit: *Illud etiam, quod inter Carthaginensis Synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectimur, ut quicumque dixerit: gratiam Dei &c.* b) Novem communiter hujus Synodi Canones referuntur, quamvis in quibusdam scriptis exemplis non existant, nisi octo, omisso sc. tertio, qui de sorte infantium sine Baptismo decedentium decernit, ut proinde causam dubitandi subesse nonnulli existiment, an hic Canon authenticus sit? Cæterum Canones hos potiore parte compositos esse



justificamur, isthic non intelligi gratiam sanctificantem, qua, ut scholæ ajunt, *formaliter* justificamur; sed gratiam *actuale*m, quæ ad justificationem nos, aut disponit, aut efficienter perducit, & in justitia firmat, atque conservat, seu per quam, ut S Augustinus ait: *charitas diffunditur in cordibus nostris.* (XXXVII.) Est enim Canon iste contra Pelagium editus, qui catholicorum argumentis convictus, gratiam tandem, quæ *sola peccatorum remissione* contineretur, admisit, hoc nomine eam solum gratiam intelligens, qua nobis ex viribus naturæ pœnitentibus peccata a Deo remittuntur, non quæ adjuvat, ne rursus committantur. Patet id ex S. Augustino, qui de Pelagio loquens: *Hanc, inquit, iste misericordiam, & medicinale Salvatoris auxilium, tantum in hoc ponit, ut ignoscat commissu præterita, non adjuvet ad futura (peccata) vitanda c.*

§. XLI. Inde jam manifeste patet, merito velut ab Ecclesiâ damnatam respici oportere doctrinam illam, qua asseritur: *posse hominem esse sine peccato, & mandata Dei custodire per propriam voluntatem, & naturales liberi arbitrii vires, sine gratia Dei;* prout id Pelagium, & Sectatores

constat ex decretis fidei editis a plenaria Africæ Synodo sub Aurelio Primate præsentibus 2:4. Episcopis anno 417. celebrata, cujus fidei decreta Zozimus Pp. confirmavit per Epistolam ad Episcopos Ægypti & Orientis, Jerosolymam, Constantinopolim, Thesalonicensem, & ad omnes orbis Ecclesias missam, cum præcepto eidem subscribendi, cui etiam si pauculos excipias hæreticos, omnes Episcopi subscripsere. Unde S. Prosper Lib. contra Collatorem Cap. 10. & Respon. 8. ad Capitula Gallorum, uti & in Chronico recte notat Synodum hanc a Sede Apostolica approbatam fuisse, & in toto terrarum orbe receptam; consequenter & accedente Ecclesiæ consensu roboratam. Sed Zozimi Pp. *de gratia* Decretum jam non exstat; quod quemadmodum interierit? Sicut incognitum; ita & interiisse omnino dolendum. c) Lib. de Nat. & grat. Cap 34.

tores ejus docuisse ex hactenus dictis constat, & S. Augustinus id ipsum disertè asserit scribens: *Hoc pertinere ad hæresim Pelagianorum, ut credant sine gratia hominem posse facere omnia divina mandata,* a) consequenter & omnia devitare peccata. — Illud vero, quod dicunt (Pelagius & Cœlestinus) *sufficere hominum liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratia, & Spiritus sancti dono ad opera bona non adjuventur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum.* b) Porro S. Doctorem per divina mandata, & dominica præcepta intelligere *Decalogum*, qui sola legis naturalis præcepta complectitur; patet ex proxime citato loco, ubi quæstionem reducens ad præceptum naturale: *non concupisces*, negat posse illud adimpleri, seu non violari sine gratia. Quid? quod alibi expressius asserat: *Hæc decem præcepta neminem implere viribus suis, nisi adjuvetur gratia Dei* c) Neque demum dubitat idem S. D. *ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse, qui contendit, ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem* d).

§. XLII. Quoniam igitur Jctus noster, tanquam *Juris naturalis inficiatores* palam traducere audet, qui *naturales humanæ naturæ vires negant Juri naturali servando sufficientes, atque adeo contra essentialem rerum ordinem, ut ipsi videtur, asserunt hominem legem Dei servare, & sine peccato, puta per easdem naturales humanæ naturæ vires, vivere non posse* (§. XXI.): prorsus jam palpabile est, quid de opposito dogmate statuendum sit, quod Vir Cl. nobis adeo confidenter obtrudit, nempe: *posse*
homi-

a) Lib. de hæresibus Cap. 88. & alibi sæpe. b) Epist. 89. ad Hilarium. c) Serm. 248. de tempore Cap. 5. d) Lib. de perfect. justitiæ Cap. ultimo.



hominem esse sine peccato, & legem Dei servare per naturales naturæ humanæ vires, quas habet Juri naturali servando sufficientes. Hoc ipsum enim est, quod assererat Pelagius, qui propterea in judicium Palestinæ Synodi vocatus damnationem non effugisset, nisi hoc dogma suum gratiæ Dei vocabulo temperasset, Patresque de gratia, quam nobis plurimum apostolica doctrina commendat, quaque subvenitur fragili, vitiatæque naturæ eum loqui bona fide supposuissent. (§. XXXIX.) Idem ergo gratiæ non Pelagianæ sed Christianæ temperamentum adhibeat, oportet Vir clarissimus, si communem cum Pelagio causam facere, atque in eandem cum eo damnationem incidere nolit; neque pudeat eum deinceps cum Ecclesia catholica palam, ac sincere confiteri: non posse hominem in statu naturæ corruptæ legem Dei servare, & sine peccato vivere, etiamsi velit per vires naturales, nisi adjuvetur gratia Dei per Jesum Christum D. N. (§. XXXVI)

§. XLIII. Neque vero inficiari poterit Cl. Disputator illam Positionis suæ doctrinam ad hominem in statu naturæ corruptæ consideratum retulisse. Nam Ascetam suum erroris damnat, pro præsentis utique corruptionis statu differentem: quam diu hoc fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus. Sed nec ignorare potuit hanc non peccandi impossibilitatem ab Anonymo assertam de homine viribus suis naturalibus relicto, & medicinalis gratiæ ope destituto: quippe qui alibi cum gratia omnia se facere posse, apertissime confitetur. Desinat ergo tandem Ascetarum Principem erroris arguere, suæque censuræ falsitatem agnoscat Vir clarissimus, simul autem cum humili in vires naturales diffidentia, propriam non peccandi, & mandata Dei servandi impotentiam ingenue fateatur, atque ad hanc tollendam auxilium divinæ gratiæ cum Asceta suo impensissime imploret, ac instantissime deprececur: Domine

Deus

Deus meus, concede mihi hanc gratiam, - - ut vincam pessimam naturam meam, trahentem ad peccata, & in perditionem - - nec possum resistere passionibus sensualitatis, nisi assistat tua sanctissima gratia, cordi meo ardentem infusa. - - O quam maxime est mihi necessaria tua gratia? — nam omnia possum in te, confortante me gratia a). Fiat, Domine, mihi possibile per gratiam, quod mihi impossibile videtur per naturam b). Hoc si fecerit Anonymi Censor Cl. erit profecto, cur ab errore ad veritatis agnitionem eum revertisse, juxta S. Augustini monitum, omnino gaudeamus, & Deo gratias agamus, laudesque dicamus. *)

a) Lib. 3. Cap. 55. n. & 4. b) Lib. 3. Cap. 19. n. 5.

*) Inde jam clare dispiciet Vir Clariss. non injuria Pelagianæ hæreseos postulatam a viris doctis, atque sagacibus fuisse suam illam disputationis inauguralis Thesim; quam licet ab hac invidia liberare conatus sit in suis *Soliloquiis metricis de Motivo justificante actiones humanas pro foro interno* an. 1783. typis Pragensibus editis: reapse tamen aliud nihil præstitit, nisi quod laterem latere laverit, id est veterem errorem novo, eoque gemino facti & dogmatis errore conatu irrito purgaverit. Postquam enim in *Soliloquio III. Num. 8.* carmine heroico cecinisset Poëta consultissimus:

*Sed te quæso, cedo mihi, quid sit gratia? Nonne
Gratia, sunt gratis concessa a Numine dona;
Atqui naturæ vires sunt talia dona;
Ergo naturæ vires sunt gratia vera,
Vere sufficiens, secus essent gratia nulla.*

Huic continenter strophæ in vicem Apologiæ hanc admodum paradoxam subjunxit notam: *Invisa, inquit, mihi hæresis Pelagiana (hominem solis naturæ viribus legem divinam servare posse sine gratia Dei :) adeo irrationabilis semper mihi visa est, ut ea propositio - - quemadmodum ego mihi persuadeo, ad mentem auctoris considerata, sit de subjecto non supponente: supponit enim dari vires naturales, quæ gratia non sūt; tales autem vires naturales non dari; ergo &c. Quum vero vires naturales gratia vera sūt, seu dona a Deo nobis gratis data;*



igitur illa propositio - ut jacet considerata, continet contradictionem in adjecto. *Viribus enim naturæ convenit definitio gratiæ generatim sumptæ; ergo & definitum eis conveniat, oportet, quarum operationi causa prima inahdicabiliter concurrat. Hæc legat, qui hæreses Pelagianæ ream pronuntiavit meam propositionem disputationis inauguralis pag. 11: Est vero eadem ipsa, quam supra (§. XXI.) jam descripsimus.*

At supra omnem sane festivitatem est, in tantæ hodiernæ eruditionis luce orbi literario tam aperta commenta obtrudere Virum Clariss. adeo confidenter potuisse: tantum enim abest, ut vires naturales gratiam Dei esse Pelagius negaverit, quod potius naturam in qua conditi sumus cum libero arbitrio, consequenter & naturales liberi arbitrii vires, quæ naturæ humanæ proprietates sunt, gratiam Dei esse supposuerit, Patresque Synodi Diæspolitanae hujus suppositionis ignaros tefellerit: cum non de sola gratia naturæ, sed de ea, qua subvenitur vitiata naturæ loqui existimantes. (§. XXXIX.) Sed præter insignem hunc errorem facti, latet in eodem Consultissimi Poëtæ apologetico magis adhuc perniciosus juris, seu dogmatis error. Haud enim obscure innuit Vir Cl. fidei obsequium non exigere, ut adjutorium divinæ gratiæ viribus naturæ superaddita, camque sanantis ad legem Dei servandam, & peccata vitanda necessarium credamus: nec proinde ad hæresim Pelagianam pertinere, si quis hominem solis naturæ viribus legem divinam servare posse contendat; modo easdem naturæ vires dona esse a Deo gratis data non abnuat. Quod ipsum tamen manifeste falsum esse, & in Pelagiò damnatum ex proxime dictis liquet. Quare merito S. Augustinus paulo supra, & alibi sapius gratiam Salvatoris, qua subvenitur vitiata naturæ, a gratia Creatoris naturæ, in qua creati sumus cum libero arbitrio prope discernens, prioris pro implenda lege necessitatem L. Expositionis quarundam propositionum ex Epist. ad Rom sequentibus inculcat: dum quisquam, inquit, legem viribus suis putat implere, non per gratiam Liberatorem sui, nihil ei prodest ista præsumptio: imo etiam tantum nocet, ut & vehementiori peccandi desiderio rapiatur, & in peccatis etiam prævaricator inveniat. Sic ergo jacens, cum se quisquam cognoverit per seipsum surgere non valere, imploret Liberatoris auxilium. Habet isthic certe laureati nostri Poëtis opportunum pro metrico modulandæ recantationis exercitio argumentum.

CAPUT V.

Impotentiam non peccandi, & legem Dei servandi SS. Patres derivant ex corruptione naturæ ex Adamo contractæ. Quæ, quam enormis sit? ex prædominante in vitia propensione, cæterisque, quas experimur, humanæ vitæ miseriis ab Anonymo nostro, & S. Augustino descriptis liquet. Hanc corruptionem ethnici Philosophi agnoverunt, sed hujus fontem frustra quæsiiverunt. Exinde orta opinionum discrepantia, & absurditate SS. Patres argumentum sumebant pro veritate Religionis Christianæ, quæ hujus corruptionis fontem, nempe peccatum originale, detexit. Hujus existentiam S. Augustinus contra Pelagianos, etiam seposita scripturarum auctoritate, ex præsentis vitæ ærumnis, quas ad nativam hominis conditionem referri non posse gentiles Philosophi agnoverunt, recte ostendit.

§. XLIV. **Q**uando quidem igitur inauguralis illa Cl. Disputatoris Positio ita comparata est, ut facilem viam sternere videatur ad pestiferum dogma, quod in Pelagianis damnatum vidimus (§. XL.), postliminio inveniendum: operæ idcirco pretium nos facturos putavimus, si ad pleniorē orthodoxæ veritatis tutelam studia nostra Deo dante impenderemus. Est vero, ut supra vidimus, opposita Pelagiano errori constans Ecclesiæ do-



strina, quod, ut Africani Patres ad Innocentium I. Pp. testantur (§. XL. n. 2.), *ad non peccandum*, & quod consequens est, ad legem Dei servandam, *non sufficiat arbitrii potestas, nisi adjuvetur infirmitas*. Quoniam igitur hanc legis implendæ, & peccati vitandi impotentiam Patres universim ex infirmitate, ac corruptione humanæ naturæ in Adamo vitiatæ colligunt: rectus idcirco deferendi ordo deposcit, ut, antequam ad veritatem hujus dogmatis demonstrandam progrediamur, prius, quantum depravata originali peccato, viribusque attenuata sit natura humana? diligentius expendamus. Habebit certe præ cæteris hoc compendii ista discussio, ut inde plenior quique sui ipsius cognitionem nanciscatur, iudicio Cl. Jcti nostri adeo omnibus necessariam, ut *distinctam legis naturalis adplicandæ cognitionem assequi nemo possit, ni semetipsum noverit*. - - Proin & ordine cognitionis, & executione primas in jure naturæ tenere asserit illam Soloni familiarem sententiam: Γνώσι σεαυτοῦ. *Nosce te ipsum*. Neglecta hujus primæ legis executione, juris naturæ studium puerile memoriæ opus esse contendit. a).

§. XLV. Dum igitur ad hocce Thema curatius, quam passim fieri a Theologis plerisque consueverit, pertractandum accingimur; ante omnia haud diffitendum esse ponimus, infra suo loco fusius demonstrandum, naturam humanam in præsentis corruptionis statu non esse toto suo *naturæ bono* ita penitus destitutam, nihil ut in ea virium reliquum sit, queis seu quædam devitare peccata, seu aliqua Juris naturæ præcepta observare, per semet possit, si cumprimis eæ concurrant circumstantiæ, quæ hominem suaviter inducunt ad nonnulla, quæ legis naturalis sunt, delectabiliter exequenda. Sic matrem filio cum voluptate opitulari cernimus; uxorem

a) Inter positiones rudimentales ex Jure Naturali. Posit. IX. pag. 12.

rem marito, filios parentibus, amicos suis familiarissimis pronissime gratificari experimur; multos denique cum delectatione præstare multa videmus, quæ sui sunt officii, quippe qui vel naturaliter, vel ex usu, ac consuetudine in illa propendeant. Quare S. Thomas recte colligit: *naturam humanam per peccatum non esse totaliter corruptam, ut scilicet toto bono naturæ privetur.* a).

§. XLVI. Quid vero per illud *naturæ bonum* ex peccato superstes idem S. Doctor intelligat? jam alias dilucide exposuit, b) duplex cum primis *naturæ bonum* distinguens: unum, quod complectitur *principia naturalia*, quibus constat ipsa natura, & proprietates ab his principiis fluentes, nempe naturales animæ potentiæ, & facultates. Alterum est *inclinatio ad virtutem*, quam jure dixeris bonum *naturæ rationalis*; siquidem natura humana, utpote rationalis, naturaliter inclinatur ad vitam secundum rationem agendam, ac proinde ad vivendum secundum virtutem: nam agere ex ratione perinde est, ac agere ex virtute. Porro bonum prioris generis *nec tollitur, nec minuitur per peccatum primi parentis*: unde *dona naturalia*, puta in ordine physico, *demonibus post peccatum integra permansisse* cum auctore de Divinis nominibus tam hic, quam alibi idem S. Doctor disertè asserit. Bonum vero posterioris generis, nempe, *inclinatio naturalis ad virtutem diminuitur per peccatum*, quantum in pœnam hujus finit Deus causas secundas sævire in filios iræ, solvere debitam appetitus irascibilis, & concupiscibilis temperiem, unde contingit nonnullos nasci cum indole adeo prava, atque perversa, ut ad bonum vix flecti queant; fit imò, quod teste S. Augustino, *quidam sint tantæ fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant,*

D 3

a) I. 2. Quæst. 109. Art. 2. in.

b) I. 2. Quæst. 85. Art. 1.



rant, a) & juxta Psalmistam, *similes fiant jumentis insipientibus.* b).

§. XLVII. Quamvis autem hoc ipsum *natura bonum* ad eum usque extremum *pravitatis, fatuitatisque* gradum non sit universim in omnibus Adæ nepotibus ita depressum; illud tamen immane quantum, ac ultra, quam credi fors posset, in omnibus, ac singulis attenuatum esse, ac diminutum ex prævalido, quod non sine dolore omnes sentimus, contrariæ in vitium propensionis pondere abunde convincimur. Profecto enim, si proprios quisque finus inspiciat, nemo unus erit, cui non illico sub aspectum, tactumque cadat illa uncialibus quasi literis insculpta oraculi cœlestis veritas: *sensus, & cogitatio humani cordis intenta est ad malum omni tempore — & in malum prona ab adolescentia sua.* c) Quia, ut S. Augustinus recte advertit: *peccante primo homine vitium, in omnibus Adæ posteris, pro natura inolevit;* d) ita quidem, *ut homo averfus a Deo, & conversus ad creaturas,* observante Bellarmino, *quasi naturaliter in malum propendeat:* e) & vel ideo opus sit gratia, & magna gratia, *ut vincatur hæc natura ad malum semper prona ad adolescentia sua,* quemadmodum Asceta antonomasticos rectissime notat, simul autem depravatæ naturæ statum sequentibus pathetice, & ad vivum describit: *Nam per primum, inquit, hominem Adam lapsa, & vitiata per peccatum natura, in omnes homines pœna hujus maculæ descendit: ut ipsa natura, quæ bene, & recte condita fuit, pro vitio jam, & infirmitate corrupta naturæ ponatur, eo quod motus ejus sibi relictus ad mala, & inferiora trahat. Nam modica vis, quæ remansit, est tanquam scintilla quædam latens*

a) Epist. 66. alias 28. ad Hieronymum. Cap. 6. b) Psal. 48 v. 13. & 21. c) Genes. Cap. 6 v. 5. & Cap. 8. v. 21. d) Tract. 44. in Joannem circa initium. e) Lib. 5. de grat. & Lib. arbit. Cap. 5.

ens in cinere. Hec est ipsa ratio naturalis, circumfusa magna caligine, adhuc iudicium habens boni, & mali, veri, falsique distantiam, licet impotens sit adimplere omne, quod approbat, nec pleno jam lumine veritatis, nec sanitate affectionum suarum potiatur. a)

§. XLVIII. Hanc ipsam Adamiticæ propaginis depravationem locupletissimo S. Augustini confirmare testimonio placuit, nequid hac in re ultra meritum radio vitæ præsentis ab Asceta suo amplificatum suspicari. Ictus noster fors iterum possit. Omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, inquit S. Doctor, hæc ipsa vita, s; vita dicenda est, tot, & tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantie, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? quid amor ipse tot rerum vanarum, atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, merores? Quis ignorat, cum quanta ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifesta est; & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ incipit in pueris apparere, homo veniat in hanc vitam; ita, ut, si dimittatur vivere, ut velit, & facere quidquid velit, in hæc facinora, & flagitia, quæ commemoravi, vel cuncta, vel multa perveniat? Quid est, quod cum labore meminimus, sine labore obliviscimur? cum labore discimus, sine labore nescimus: cum labore strenui, sine labore inertes sumus. Nonne hinc apparet, in quid velut pondere suo proclivis, & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat?

b) Accedit & S. Thomas, qui loco supra citato probat quatuor vulnera per peccatum primi parentis nature

D 4

huma-

a) Lib. 3. de Imitat. Christi Cap. 55. n. 2. Vide etiam ejusdem Libri Cap. 48. b) Lib. 22. de Civitate Dei, Cap. 22.



humanæ fuisse infligta, nempe ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, concupiscentiam inordinatam in appetitu concupiscibili, a).

§. XLIX. Neque aliam de statu hominis ideam, ac persuasionem ethnicos habuisse Philosophos, eorum scripta posthumis consignata affatim testantur. Fatentur imprimis omnes insuperabilem maximi momenti veritatum ignorantiam: *rerum enim veritatem*, inquit Serranus Platonis interpres ad ejus Timæum, *non affirmant hi Philosophi penes se esse - - - Fatentur autem se Divino quodam sermone opus habere, quo ad veritatem deducantur, quam se amice amplexuros testantur, si quis demonstrarit, & meliora docuerit. In hoc maxime argumento obscurissimo illo, id subinde inculcat Plato, auxilium a Deo implorans, ut Ducem se præbeat in his salebrosis mæandris. De eodem Platone refert auctor operis: Le vrai Philosophe: eum ingenue confessum, hominem, nisi divinitus illustratum, nec veritatem a mendacio, nec veram ethicam a spuria discernere unquam posse: eum ex se ipso imbecilliozem esse, quam ut in excolenda vera virtute proficiat: hanc esse donum Divinitatis, nec quidquam boni nobis inesse, quod in nobis illa non plantaverit: b) Ignorari, ajebat, Socrates, quo animo erga Deum, & homines esse oporteat, ideoque necessarium esse expectare, donec id aliquis doceat, quisquis demum ille sit. c) Agnovit quoque Isocrates: Ita natura comparatum esse, ut omnes sapius peccemus, quam officio fungamur. d) Cicero demum, ut alios præteream, apertius suam de hoc argumento sententiam promens: Parvulos, inquit, nobis (natura) dedit igni-*

a) 1. 2. Quæst. 85. Art. 3. b) Part. 3. Sect. 2. c) Lib. 2. Alcibiad. Mars. Ficin. interprete, versus finem. d) In orat. ad Philippum.

igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravati sic restringimus, ut nusquam naturæ lumen appareat - - simul atque editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & summa opinionum perversitate versamur: ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, demum Magistris traditi sumus; tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. a): ut proinde recte dixerit Aristoteles: errorem, & deceptionem magis esse propria hominibus, quam eorum contraria. b) Ita quidem de congenita humanæ naturæ indole senserunt, qui inter gentilium Philosophos sapientiæ fama cæteris præcellebant, quorum opinionem utinam non confirmassent exempla atrocissimorum facinorum, & maxime pudendarum obscœnitatum documenta, quæ apud plerasque politioris licet ingenii nationes, puta Chaldæos, Aegyptios, Phœnices, Græcos, & Romanos, jus civitatis, publici imo cultus auctoritatem in perpetuam generis humani ignominiam obtinuisse profanæ testantur Historiæ, & signantes tempora fasti. *)

§. L.

a) Lib. 3. Tuscul. Quæst. sub initium. b) Lib. 3. de anima Cap. 3.

*) Hac de re vid. Bossuet Disc. sur l'Hist. univer. 2. Part. n. 5. pag. 206. ed. de an. 1681. cujus fragmentum huc faciens refert M. Flexier de Reval in opusculo, cui titulus: *Catechisme Philosophique* &c. pag. 216. His adde judicium Viri inter Protestantes celeberrimi, nempe doctiss. Gellertii, qui in evolvendis veterum Philosophorum scriptis assiduus ingenue fatebatur, se in illis non nisi umbras, sæpe etiam tenebras, fatuitatem, superstitionem, ac insaniam invenisse. Sed ipsum theotilico sermone loquentem hic audiamus; En ejus verba: — Ich habe mir angelegen seyn lassen, das Beste zu lesen, was die Klügsten und Vernünftigsten unter den alten Weisen vom Gott, Religion, und Tugend, von den Mittelst

zur



§ L. Tantum vero miseriarum, cæcitatæ, ignorantia, errorum, abominatum, ac vitiorum chaos, cui ethnica superstitionis homines, suis relictos viribus universim fere involutos fuisse, Apostolorum Princeps compendio quidem a); fusius vero gentium Apostolus b) commemorat, in Deum auctorem refundi non posse, nec, quamvis etiam horum permissio in Dei gloriam resultaret, ista ipsum antecederet velle potuisse, & vel ideo aliud hujus depravationis, malique principium quaeri oportere, iidem ipsi Philosophi, quos commemoravimus, probe agnoverunt; sed quum revelationis lumine destituti in eo investigando operam perdidissent, in diversas tandem, easque absurdissimas de mali origine opiniones delapsi sunt. Stulte profecto, inquit Illustriss. *Bossuet*, hoc malorum principium quidam cum Platone attribuebant materiae animabus repugnanti; at Deus materiam longe exuperans potest ipsam sic animabus subijcere, ut malum ex ea nullum timeri queat. Alii ele-

men-

zur Ruhe, und Zufriedenheit, und dem höchsten Gute des Menschen gelehret haben: und ich bezeuge ihnen auf mein Gewissen, daß alle ihre Weisheit gegen den Unterricht der Offenbarung gehalten, Schatten, und Unge-
wissenheit, höchstens ein dunkler Schimmer, öfters aber so gar Finsterniß, Thorheit, Aberglaube, und Unstinn ist. Was die gereinigte Weltweisheit unserer Tage in diesen Lehrstücken richtigeres, und anständigeres vor-
trägt, das hat sie alles der Lehre der Schrift zu danken. — Moralische Vorlesungen. X. Vorlesung. Es verdient übrigens des H. Thomas Stachhause christliche Sittenlehre anempfohlen zu werden, dessen erster Theil von der Wirklichkeit — Beschaffenheit — und Ausbreitung des durch die Erbsünde verursachten menschlichen Verderbens ausführlich und gründlich handelt.

a) I. Petri 4. v. 3. b) Rom. 1. v. 21. &c. Ephes. 4. v. 17. &c. quæ omnia a *Juvenali*, *Salustio*, & *Suetonio* exemplis confirmata invenies apud *Grotium De verita-*



mentorū pugnae; sed causa potior invenitur ut eas elemenis. Alii Deorum contrariorum discordia; sed Deorum pluralitatem nos explēdimus. Alii seriei planetarum in rerum regimine succedentium; sed nos zūctorem sideribus superiorem novimus. a) — Denique non deerant alii gentiliū Philosophi, quorum mentionem facit *S. Augustinus*, b) qui animarum præexistentiam comminiscētes, eas corporibus corruptioni obnoxiiis eo fine insitas crediderunt, ut in iis pro anteaactæ vitæ culpis pœnas promeritas exsolverent; sed hæc somnia, & commenta sunt, ab ipsomet gentium Apostolo subinde refutata. Adeo nulla unquam Philosophorum veterum Secta congruam adferre rationem potuit, quæ intellectui satisfaceret, nodumque quæstionis de malorum, & ærumnarum hujus mundi origine efficaciter solveret. Unde summa apud eos ignorantia in iis omnibus, quæ sive ad vulnus originali crimine inflictum, sive quæ ad necessitatem Reparatoris pertinent. Cum de æruminis agendum esset, nemo illis melius differit; sed cum ad quærendum animæ languentis remedium ventum est, æque omnes cœcētiunt & aberrant.

§. LI.

æ Religionis Christi. L. II. §. 12. — 17. a) Ita Illust. Meldensium Aristes in Discursu de successione Religionis, ex versione Petri Montmedii, qui an. 1766. typis Pragensibus denuo in lucem prodiit b) Lib. 7. contra Julianum Cap. 16. seu ultimo in fine, ubi ita dicitur: Quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam? Hujus evidentia miseria gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus, eo supplicio, quo Hetrusci prædones captos affligere consueverunt, tanquam vivos cum mortuis esse conjunctos. Ubi alludit ad id, quod de Tyranno Mezentio Hetrusco Virgilius canit:

Mortua



§. LI. Ex hac autem absurdissimarum opinionum varietate, prout opportune advertit *Petrus Tamburini*, a) argumentum sumebant Ecclesiæ Patres, & cumprimis S. Augustinus pro comprobanda veritate, & excellentia Religionis Christianæ, quæ humanæ corruptionis fontem aperuit, eique sanandæ media aptissima suppeditavit. — Peccatum quippe originis, quod nobiscum innascitur, malorum omnium, quæ patimur, genuinam esse causam ostendit: quo posito omnia interioris hominis phænomena, quæ nemo in se ipso non sentit, tam dilucide explanantur, ut nihil amplius desideretur ad plenam hominis cognitionem; negato autem peccato originis labimur in profundissimam ignorantiam eorum omnium, quæ hominis sunt. — At tota hæc machina funditus corrui, si uti mortem, cæterasque hominis ærumnas, ita & ignorantiam, & concupiscentiam non inter mala naturæ computanda b); sed & ad naturalem hominis conditionem referenda esse cum Pelagianis statuamus. Nam si ignorantia, concupiscentia, cæteræque animi nostri cupidi-

Mortua quin etiam hungebat corpora vivis.

Atque demum prosequitur: *Apostolus autem amputat opinionem, qua creduntur singula animæ pro meritis anteaactæ vitæ diversis corporibus inseri, puta exempla gemellorum Jacob, & Esau.*

- a) *Dissert. de summa catholica de Christi gratia Doctrina præstantia &c.* Cap. 13. pag. 167. Edit. Vindobon. de an. 1774. De turbis occasione hujus opusculi apud Brixienfes excitatis, & de illius auctoris fati vide in *nova Bibliotheca Ecclesiastica Friburgensi* Vol. III. Fascicul. I. pag. 175. Meliorem fortunam experta est hæc Dissertatio apud Vindobonenses, ubi secundis typis prodit, eidemque præfixum judicium de hoc opere latum in *Ephemeridibus literariis Romæ* an. 1772. N. XXXV. ubi scopus auctoris cum opere ipso impense laudatur.
- b) S. Augustinus Lib. 4. contra Julian. Cap. 16.

cupiditates, quibus in contraria discerpimur, atque ad moralem recte vivendi impotentiam redigimur, ad nativam hominis conditionem referri, & necessaria naturæ nostræ consecraria esse possint; vitia igitur naturæ illa non sunt, nec sunt contra naturæ ordinem: nec proinde ex his recte colligitur, hominem non esse in statu suo naturali, sed in natura vitiata.

§. LII. Perniciosum hunc errorem S. Augustinus olim in Pelagianis solidissime refutavit, asserens: *Judicia Dei illos evertere, qui generis humani miseras incipientes a parvulis sine ullo peccati merito fieri dice- rent.* a) Tum vero alibi Julianum affatus: *Parvulos, inquit, intuere, quot, & quanta mala patientur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant. Deinde jam grandes, etiam Deo servientes tentat error, ut decipiat, tentat labor, aut dolor, ut frangat, tentat libido, ut accendat, tentat mœror, ut sternat, tentat typhus, ut extollat; & quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam? Tum commemorans gentilium Philosophorum opinionem, qui ut proximo paragrapho vidimus, ex hujus vitæ miseriis agnoscere compulsi sunt, præcessisse aliquod peccatum, cujus illæ miseriæ forent effectus, & supplicium; mox sermonem ita prosequitur, & Julianum alloquens concludit: Quid igitur restat? nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, aut impotentia Dei, aut pœna primi, veterisque peccati. Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat, quod non vis, sed cogeri confiteri, quod grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.* b) Quamobrem idem S. Doctor Julianum
sub

a) Lib. I. Oper. imperf. contra Jul. n. 72. b) Cit. Lib. 4. contra Jul. Cap. 16.



subinde deridens, quod, cum iustum esse Dei iudicium agnosceret, originale tamen peccatum negaret: *quæ duo, inquit, inter se, quam sint contraria, procul dubio cerneret, si sanum caput haberet. a)*

§. LIII. Fuerunt quidem olim, & hodiedum sunt Theologorum non pauci, qui admissa naturæ puræ possibilitate, isthoc S. Augustini ratiocinium ex hujus vitæ malis, & ærumnis, præsertim ex ignorantia, & concupiscentia desumptum, non nisi contra Pelagianos efficaciter concludere cum Tournelyo contendunt, eo quod Pelagiani scripturas admitterent, in quibus commemoratur, *Deum fecisse hominem rectum, b)* & *vestivisse eum virtute; c)* ac *implevisse cor sapientia, & intelligentia. d)*; ex quo sequitur, cœcitatem, concupiscentiam, cæterasque idgenus inordinationes, quas in nobis cernimus, fieri non potuisse vel sine Dei iniquitate, aut impotentia, quod cogitare nefas; vel sine præcedentis peccati demerito, quod docet christiana Religio. At seposita scripturarum auctoritate, nihil inesse roboris illi S. Patris argumento existimant ad peccati originalis existentiam ex hujus vitæ miseriis comprobendam; cum eorum opinione possibilis sit naturæ puræ status, in quo homo sine peccato, & absque omni etiam naturalis tantum gratiæ auxilio conderetur iisdem quoque, quas nunc patimur, miseriis omnino obnoxius; in quo proinde hæc cum *externa*, tum *interna* mala forent solum humanæ naturæ appendices, non vero comites, & pœna peccati.

§. LIV. At mallet, qui ita sentiunt, parumper adverterent, S. Doctorem non solum supposita Scripturarum auctoritate, ex miseriis, quas patimur, contra Pel-

a) 2. Oper. imperf. contra Jul. n. 104.

b) Eccl. 7. v. 30. c) Eccl. Cap. 17. v. 2. d) Ibid. v. 3. & seq.



Pelagianos, evincere existentiam peccati originalis; sed præterea sepositis etiam scripturis ex iisdem miseriis recte probare existentiam alicujus præcedentis peccati, hunc in finem proferendo in medium opinionem gentilium Philosophorum, quos alias *Julianus* ipse in erroris sui patrocinium allegaverat: quippe qui solo naturalis rationis lumine convicti probe agnovissent, ignorantiam, concupiscentiam, indeque ortam bene vivendi difficultatem, aliasque misérias, quibus obnoxium esse videbant genus humanum, ad naturalem hominis conditionem, ceu appendices naturæ humanæ, nulla posse ratione referri, quin simul hæc eadem mala in Deum naturæ auctorem refundantur. Istud autem quoniam cum notionem entis perfectissimi, optimique Numinis idea conciliari neutiquam posse probe cernerent, proptereaque aliud horum malorum principium extra Deum investigandum esse pro certo tenerent; in eam tandem hypothese[m] redacti sunt, ut dicere compellerentur: *ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa non esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus - - esse conjunctos.* Qua in re errabant illi quidem, quod ad probandam Thesim veram falsa hypothese[m] uterentur, qua ponebant, singulas animas, pro meritis anteaactæ vitæ, diversis inferi corporibus; quam tamen opinionem S. Augustinus recte observat jam ab Apostolo refutatam, exemplo videlicet gemellorum Jacob & Esau, quorum sortem jam prævie determinatam fuisse docet, *antequam nati essent, aut quidquam boni, vel mali egissent,* a) Inde vero patet S. Augustinum adversus Pelagianos depugnantem duplici usum argumento ad existentiam peccati originalis demonstrandam: uno quidem ex miseriis vitæ humanæ, supposita Scripturarum auctoritate; altero ex iisdem miseriis, & Philosophorum

a) Rom. Cap. 9. v. 11. & 13.



phorum gentilium ratiociniis, qui Scripturas ignorabant; adeoque etiam Scripturam auctoritate seposita, prout manifestum est ex libris contra Julianum scriptis a).

CA-



- a) Lib. 1. Oper. imperf. n. 25. quid apertius, inquit, quam quod ait Apostolus, peccatum in hunc mundum per unum hominem intrasse, & per peccatum mortem? Quod si probare cogereetur idem Apostolus, ipsam humani generis miseriam testem daret, quæ incipit a vagitibus parvulorum, & usque ad decrepitorum gemitus pervenit. Et Lib. 2. ejusdem operis n. 119. Cum dicitis, ait, nullum peccatum parvulis imputandum, injustum facitis Deum, qui eis grave jugum a die exitus de ventre matris imposuit. Quod et si scriptura non diceret, quis tam cæcus est mente, qui non videat miseriam generis humani a fletibus incipere parvulorum?

CAPUT VI.

Naturales bene operandi vires in natura lapsa non fuisse diminutas, sed integras remansisse, novitia est, & veterum persuasioni contraria quorundam Theologorum opinio. De hujus divinitate, ac universalitate vana, & falsa quorundam jaetantia. Sunt potius, qui eam ceu monstrum monstrorum, & resuscitati Pelagianismi fundamentum haud temere suspiciunt: quia medicinalem Christi gratiam a statu naturae corruptae removet, & manifeste repugnat Doctrinae SS. Patrum, conciliorumque decretis. Horum praeposteræ interpretationes explosæ. Inde conficitur, hominem in statu corruptionis retinuisse quidem vires naturales cognoscendis, & exequendis virtutum naturalium officiis physice proportionatas; sed admodum imbecilles, & ob conjunctam moralem bene agendi impotentiam in pluribus inefficaces.

§. LV. **Q**uamquam ex allatis præcedenti capite momenti satis appareat, naturam humanam originali peccato non solum quoad corpus, sed etiam quantum ad animam, & naturales facultatum animæ vires fuisse in deterius commutatam, fauciam, ac infirmatam; ut propterea communis olim hac in re fuerit Theologorum, fideliumque consensus, atque persuasio; non defuerunt tamen sequiore ævo Theologi, qui dum per-

vulgatam illam veterum persuasionem cum novello suo gratiæ *versatilis* systemate conciliari haud posse probe cernerent, eo tandem redacti sunt, ut ad salvandum doctrinæ nexum docere cogerentur: post Adæ lapsum in natura humana vires naturales tales secundum se mansisse, quales illas essemus habituri, si in puris naturalibus - - conditi fuissetus. Peccatum primi parentis solum in gratuitis nobis nocuisse, & ob id naturalia in nobis - - integra permansisse. Ita quidem Molina a), & qui ejus postmodum vestigia prefferunt, Vasquesius b) Suarezius c) Becanus d) Medina e) Maldonatus f) &, ut alios præteream, P. de Rhodes g) aliique passim catuli sequaces.

§. LVI:

- a) In Lib. Concord. Quæst. 14. a 13. Disp. 3. b) In I. 2. S. Thomæ Disp. 132. Cap. 7. c) Tom. 6. Tract. 5. de vitiis, & peccatis Dist. 9. Sect. 2. Sed præcipue De necessitate gratiæ Proleg. 4. Cap. 8. n. 5. ubi ait: *Communis, & vera sententia est, naturales vires hominis, & liberi arbitrii, quoad gradum, & perfectionem, quam in statu naturæ puræ haberet, non fuisse diminutas in natura lapsa - - Ibid. Cap. 9. n. 4. Dicendum, inquit, hominem in natura lapsa non minusabilem esse ad bene operandum, cogitandum, & judicandum, de agendis - - quam esset in statu naturæ puræ, si in eo corderetur &c. Eadem fere repetit Lib. 1. Cap. 36. n. 4. contendens: vires naturales liberi arbitrii ad operandum bonum - - in statu naturæ lapsæ non esse minores, quam fuissent in pura natura non integra.* d) In summa Theologiæ Scholast. Tract. 2. de peccatis Cap. 9. Quæst. 6. n. 4. e) In I. 2. Quæst. 85. Art. 3. §. secundo inferitur f) In Operibus Theolog. Tract. 1. de Lib. arbitr. Part. 7. ubi ex male intellecto quodam Siraçididis testimonio concludit: *Ergo sentiebat (Ecclesiasticus) tam integrum esse in nobis liberum arbitrium quoad naturam, quam fuerat in primis parentibus, si removeas ab illis supernaturalia dona.* g) Tom. 1. Theologiæ Scholast. Tract. 4. Disp. 4. Quæst. 2. Sect. 3. §. 2. Tota, inquit, naturæ depravatio inducta per peccatum fuit solum amissio donorum supernaturalium.

§. LVI. Supra omnem vero festivitatem est, quod eorum aliqui in commendationem novitii sui dogmatis præfidentius affirmare non dubitarunt. Nempe: hanc esse veram, & divinam Theologiam, quam doceant universi Theologi, ajebat loc. cit. Medina; sed multo adhuc petulantius post verba paulo ante descripta assererat P. de Rhodes: ita contra Sectarios omnes, docere orthodoxos omnes Theologos. Quasi vero nec Theologi, nec Orthodoxi essent, qui de Secta Molinæ non sunt, quique doctrinam hanc veteribus incompertam veluti spuriam, & exoticam olim communiter aspernati sunt, & hodiernum consensu unanimes aspernantur, ut propterea Illustriss. Serryus a) eam velut monstrum monstrorum, & resuscitati Pelagianismi fundamentum haud temere appellaverit: neque enim aliunde doctrinam hanc recentiores illi Theologi haussisse videntur, quam ex Pelagianis, quos eadem prorsus, ac illos de naturæ viribus hoc in negotio dogmatizasse constat: Nos dicimus, inquit Julianus b) peccato hominis non naturæ statum mutari, sed meriti qualitatem. Et Pelagius: habemus, ajebat, possibilitatem utriusque parem (scil. boni, & mali) a Deo insitam velut radicem fructiferam, atque fecundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat, & pariat, & quæ possit ad proprium cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum c). Adeo nimirum bene consentiunt in his erroribus asse-

E 2

rendis,

- a) Tom. I. pag. m. 395. b) Apud S. August. Lib. I. Oper. imperf. c) Libr. de libero arbitr. apud August. Lib. de gratia Christi Cap. 28. Sed legenda cum primis est Epistola Pelagii ad Demetriadem Virginem, quæ existat Tom. ultimo Operum S. Hieronymi olim huic S. Doctori perperam adscripta, ubi diserte docet Pelagius, bonum naturæ non esse in homine ulla ex parte diminutum, sed iisdem adhuc homines pollere viribus, quales homo in prima sui creatione accepit, quamvis nunc hominum naturam, & vitam per Christum in melius instructam esse fateatur; prout infra suo loco videbimus.



rendis, qui non rectam tenent de medicinali gratia Christi sententiam! Est igitur Theologorum eorum de prætenfa doctrinæ suæ divinitate, ejusque universalitate vana, & falsa jactantia.

§. LVII. Quoniam igitur eandem, & æqualem bene operandi habilitatem, viresque ad operandum bonum, pares, & expeditas utrique statui, tam naturæ puræ, quam lapsæ uniformiter, ut vidimus, Theologi illi attribuunt, tantum ne fortioris adjutorii, seu gratiæ ex se efficaciæ necessitatem pro statu præsentis admittere cogantur; verendum sane, ne propterea Pelagio pejus sentire convincantur, dum eam ipsam naturalem virium perfectionem, paremque boni, & mali possibilitatem, a Pelagio naturæ puræ (quam negato originali peccato pro parte saltem actu existentem hæreticus ille fingebat) attributam, iidem Theologi statui naturæ peccatæ corruptæ æque vindicant, hocque pacto medicinalem Christi gratiam, quæ a statu naturæ puræ exulasset, etiam a præsentis corruptionis statu eo ipso remonent, quod in hoc statu hominem secundum naturales animæ vires *infirmatum, sauciatum, & in deterius mutatum* aperte inficientur. Quia in re quum dexteras societatis Pelagio dare videantur; nihil, quod propterea contorqueri in eos jure possit, impresentiarum accommodatius succurrit, atque illud Augustini Pelagium pari de causa perstringentis: *videte, quaeso, quomodo nesciens nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces saluberrimas: ego dixi: Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi, quæ velut ore Protoparentis ex persona nepotis prolata S. Doctor considerans continenter subdit: quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?* a) & rursus: *quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est.* b)

§. LVIII.

a) Lib. de Natu. & grat. Cap. 13. b) Ibid. Cap. 53.

§. LVIII. Quam sit vero illa recens subintroduc-
ta obsoletæ jam scholæ doctrina veterum persuasione
prorsus contraria, satis, ut reor, luculenter apparet ex
editis Patrum Commentariis in celebrem illam Evange-
lii Lucae X parabolam. *Homo quidam, inquit sacer tex-
tus, descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in la-
trones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis ab-
ierunt semivivo relicto.* Hunc vero locum de ipso Adam
in genere humano a), adeoque de natura humana per
peccatum sauciata intelligendum esse, nemo SS. Patrum
est, qui non diligenter admoneat. Hos inter præcipui
sunt Origenes, SS. Gregorius Nazian. Hieronymus, Chry-
sostomus, Gregorius Mag. quos citat S. Thomas in Cate-
na aurea. Nempe secundum glossam, quæ Ven. Bedæ
tribuitur, & a S. Thoma b) laudatur: *Adam peccando
spoliatus est gratuitis, puta, supernaturalibus donis, quæ
complectebatur iustitia originalis, & vulneratus fuit in na-
turalibus, intellige naturæ viribus, cuiusmodi vulnera
quatuor recenset idem S. Doctor supra (§. XLVIII.)
citatus.* Merito igitur S. Augustinus hominem post
lapsum considerabat tanquam *grandibus sauciatum, con-
fossisque vulneribus c)* ut propterea *magnus de cælo ve-
nerit medicus, quia magnus per totum orbem terræ jacebat
ægrotus. d).*

§. LIX. His auctoritatibus accedunt decreta Con-
ciliorum, & imprimis quidem Concilii Arausiaci II;
in quo, quid de hominis lapsi viribus tenendum, cre-
dendumque sit, tribus Canonibus declaratum fuit: Can.
I. *Per offensam prævaricationis Adæ totum hominem, id
est, secundum corpus, & animam in deterius fuisse commu-
tatum.* Can. 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine in-*

E 3

firma-

a) S. August. Lib. 2. Quæst. Evangel. Q. 19. b) In 2.
Dist. 29. Q. 1. Art. 2. c) Lib. de Nat. & grat. Cap.
53. d) Serm. 15. de verbis Apost.



firmatum &c. Can. 25. *Liberum arbitrium inclinatum esse, & attenuatum.* Demum Concilii Tridentini Patres hujus Concilii Arausiaci Canonem I. renovantes Anathemati obnoxium decreverunt, qui primum hominem, cum *mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse* (sicque spoliatum in gratuitis) - - - *totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse* (hocque pacto vulneratum in naturalibus donis) *non conficitur a*). Denique Sessione sequenti eadem Synodus Patres Arausiacos secuta similiter declarat: *liberum arbitrium per peccatum originale viribus attenuatum fuisse & inclinatum, b)* intellige quantum ad vires bene agendi, & expeditam, quam ante peccatum habuit, recte vivendi potestatem. *)

§. LX.

(a Sess. 5. de peccat. orig. Can. I. b) Sess. 6. Cap. I.

*) Nescio plane magisne novitatis amor, an doctrinæ antiquæ contemptus in Maldonato vituperandus sit, quod, postquam loco cit. (§. LV.) observaverat, *nisi post exortam Pelagii hæresim, dici non consuevisse, liberum arbitrium per peccatum originale fuisse aut imminutum, aut lasum, aut inclinatum, aut debilitatum; atque inde natum esse vulgare Theologorum dictum: hominem per peccatum gratuitis spoliatum esse; in naturalibus autem vulneratum; quamvis ignorare non potuerit, id a Synodo Araus. II. a Tridentina, ab universis Patribus definitum fuisse; ipse tamen illorum Theologorum nihilominus sententiam probet, qui dicunt, liberum arbitrium amisisse tantum dona supernaturalia; in facultatibus autem naturalibus, id est, liberi arbitrii viribus, nullam diminutionem accepisse.* Adeo nempe Theologum hunc Patrum, Conciliorumque auctoritas nihil movet, ut ab ea aperta fronte recedere non vereatur; quasi vero Patres post exortam hæresim Pelagii novam primum doctrinam confinxissent, quam ex traditione Majorum non acceperint. Quare dum insuper habita auctoritate novitiam eorum sententiam Maldonatus probat, qui libe-

§. LX. Hæc & alia idgenus evidentissima testimonia, quamvis omnem elabendi viam adversariis præcludere videantur; ut ne tamen veritati adeo perspicuæ victas dare manus cogerentur, ad præposteratas interpretandi artes confugere, distortisque commentariis Ecclesiasticas eludere definitiones maluerunt, audacter contendentes *liberum arbitrium attenuatum, inclinatum, infirmatum, atque in deterius commutatum* appellari solum comparatione virium indebitarum, & adventitiarum, quas liberum arbitrium habebat in statu innocentiae ex præsentia justitiæ originalis; non vero comparatione virium, quas habuisset homo, si in puris naturalibus fuisset conditus. Et istud profecto consequens erat ad illorum opinionem, qui hominem, qualis ex Adam nascitur ab homine in solis naturalibus creato non aliter differre volunt, quam hominem *vestibus spoliatum ab homine nudo*, in quantum nempè *ille amisit, quod alter nondum habuit*.

§. LXI. Verum dum ita proprio Marte, nullaque gravi causa, aut necessitate cogente improprios, figuratos, & ab obvio verborum sensu alienos, violentosque sensus in tam perspicuis Patrum sententiis, Canonumque Decretis Theologi illi aucupantur, satis utique ostendunt, ipsoque facto demonstrant, se in veterum scriptis potius quærere, quod maluissent eos in suum commodum sensisse, quam quod voluerint ipsi, ut nos eorum auctoritatem secuti sentiremus. Hanc autem interpretandi methodum, ubi semel probaveris, nihil profecto jam erit in Patrum operibus, & Ecclesiasticis monumen-

E 4

numen-

liberum arbitrium per peccatum in naturalibus viribus vulneratum, sauciaturque negant; perinde satis ostendit eorum sibi doctrinam probari, de quibus olim S. Augustinus agebat: *sunt homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi, sauciæque naturæ.* Sermon. 2. de verbis Apost.



numentis adeo illustre, atque perspicuum, quod non, in quem volneris sensum, continuo inflectere, sicque Patribus cereum, quod ajunt, nasum affingere facile pro lubitu possis, prout jam alias observavimus. Quare ne ad desultoriam hanc veterum dicta commentandi levitatem facile quis delabatur, memori mente identidem retinendus est Cl. Anton. Genuens. Canon: *vocabula ne ex propriis notionibus interpretator, sed ex ejus mente, qui iis utitur. Si secus saxi, decipieris.* Quo canone infinitis erroribus obviam iri monet, qui ex Auctorum lectione manant a) Cuperem porro etiam alte animo infixam tenere illam a Clerico subinde imperius commendatam interpretrandi regulam, secundum quam: *oportet, velut opinionum nostrarum oblitos, quærere, quid veteres illi Magistri senserint; non quod sentire debuisse nobis videntur, ut saperent b).*

§. LXII. Hanc autem regulam maxime observandam putem, ubi de dogmaticis SS. Patrum sententiis, Conciliorumque Decretis rite assequendis agitur, quæ ne utiquam secundum obstrufos, reconditosque sensus, sed magis juxta obvium, usuque ipso receptum verborum significatum, populariter, non subtiliter intelligi, accipique oportere, recta ratio suadet. Quare dum Patres, & Concilia hominem per peccatum *in naturalibus viribus vulneratum, infirmatum, & sauciatum, liberumque arbitrium attenuatum, ac in deterius mutatum* constanter affirmant, atque definiunt, hoc suo loquendi modo non utique ad solam gratuitorum despoliationem respexisse, sed etiam prout nativus, ac obvius verborum sensus, ipsumque *vulnerationis* vocabulum exigit, ad ipsorummet naturalium quandam in seipsis corruptionem, factamque

a) In Arte Logico-critica Lib. 2. Cap. 8. b) Artis criticae Part. 2. Sect. 2. Cap. 2.

que in deterius commutationem animum intendisse censendi sunt. — Quis enim, ut *Essius* a) recte notat, quis proprie dicat eum vulnera accepisse in corpore, cui vestium tegumenta detracta fuerint, corpore ipso manente illaeso? spoliatum quidem, & nudatum dicimus hujusmodi hominem, sed vulneratum nequaquam. At Patres *vulneratum* esse affirmant, idque ad modum Evangelici illius viatoris, quem latrones non tantum despoliaverunt; verum etiam plagis, seu vulneribus ita affecerunt, ut semivivum relinquerent, non tantum spoliatum. — Accedit, quod mysticum hunc Patrum sensum parabolæ contextus plenius confirmet: misericors enim Samaritanus *alligavit vulnera ejus*, qui plagis affectus est, *insundens oleum, & vinum* - - & *curam ejus egit*; horum autem vulnerum, & numerum, & qualitatem sequentibus exponit Aquinas: *Quatuor, inquit, sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis* - - - *in quantum & ratio hebetatur, præcipue in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & major difficultas bene agendi accrescit, & concupiscentia magis exarscit.* *)

§. LXIII. Quod vero pervulgatam illam recentiorum Theologorum assertionem attinet, secundum quam natu-

a) In Lib. 2. Dist. 24. §. 18. b) I. 2. Quæst. 82. Art. 1. ad 3. & fusius, atque distinctius Quæst. 85. Art. 3.

*) Dum igitur S. Doctor in Dist. 30. Q. 1. Art. 1. ait: *facta deordinatione per peccatum* - - *relictus est homo in illis tantum bonis, quæ enim ex principis naturalibus consequuntur*; id non debet intelligi per exclusionem aliorum vulnerum, quæ inflicta fuisse potentiis animæ, locis mox citatis, luculentissime tradit. Quid? quod per bona illa, quæ ex principis naturalibus consequuntur, solum intelligere potuerit naturales animæ facultates, & potentias; non autem naturales earum vires, & naturalem earundem ad virtutem inclinationem conformiter ad alibi ab eo jam tradita. (§. XLVI.)



natura lapsa non aliter discrepare dicitur a pura, quam *spoliatus a nudo*; cum distinctione accipiendum esse monet Ex. *Gazzaniga*: nempe relate ad supernaturalium donorum amissionem concedi id posse ab iis saltem, qui possibilem agnoscunt statum naturæ puræ; non autem quantum ad reliquos peccati originalis effectus. Id est culpa originali primo quidem fuit homo gratuitis spoliatus, & factus proinde ei similis, qui nudus fuisset; sed præterea plagis impositis, vulneribusque confollus semivivus relictus est.

Sed quoniam Theologi supra laudati posterius illud inficiantur, haud satis advertunt, se totam peccati originalis naturam evertere, imo & ejus existentiam, quam post tot perspicuas Ecclesiæ definitiones negare non audent, in apertum discrimen adducere. Enimvero horum sententia homo, qui nunc nascitur ab eo, qui nasceretur in statu naturæ puræ, non differt nisi ut *spoliatus a nudo*: sed vero inter utrumque horum nulla actu intercedit realis differentia: siquidem perspicuum est, proprietates hominis nudi & spoliati, quod ad rem attinet, esse omnino easdem. Igitur reipsa non differt homo, qui nunc nascitur, ab eo, qui nasceretur in puris naturalibus. Porro qui in his nasceretur, iisdem Theologis fatentibus, non haberet peccatum originale: ergo etiam homo, qui nunc nascitur, peccatum originis habere secundum eorum Systema dicendus non est. Et re quidem vera si peccatum originis non consistit, nisi in privatione gratiæ, & justitiæ originalis, veri peccati rationem habere nequit; nam privatio gratiæ potest quidem esse pœna peccati, sed dici nequit proprie peccatum, maxime hypothese status naturæ puræ supposita: hoc enim in statu homo non haberet gratiam, & originalem justitiam; nec tamen peccatum aliquod haberet. Ergo privatio vel defectus originalis justitiæ non est



est proprie peccatum. Ubi ergo in illorum Theologorum Systemate est reatus originis? prout recte observat *Petrus Tamburini* alibi jam laudatus.

§. LXIV. Quodsi plures Scholastici, cum primis vero Thomistæ peccatum originale exposuerunt per privationem justitiæ originalis; haud tamen in ea solum præcise ejus naturam constituerunt; sed simul etiam in concupiscentia, seu illa inordinatione virium animæ, ratione cujus homo *inordinate convertitur ad bonum commutabile* a) *sequiturque bonum privatum, nisi sanetur per gratiam* b) inquit S. Thomas, qui & priore loco addit: hanc inordinationem communi nomine dici posse concupiscentiam. Quare si qui fuerint Theologi, qui dixerint, peccatum originis nihil aliud esse, quam privationem justitiæ originalis, de eo locutos intelligere oportet, quod constituit *formale*, quod ajunt, peccati, quod ponebant in privatione justitiæ originalis, quin continuo excluderent concupiscentiam, seu *inordinatam dispositionem animæ*, velut originariæ culpæ materiam. Ita sane docuisse, locutumque fuisse S. Thomam, nemo in ejus scriptis versatus ignorare potest: is enim, licet peccatum originale *formaliter* situm esse in privatione justitiæ originalis affirmet, nomine tamen privationis justitiæ nudam privationem nequaquam intelligit, sed *positivam* deordinationem, & averfionem a summo, & incommutabili bono ex conversione ad bonum commutabile necessario sequentem, prout pluribus locis perspicue seipsum explicat c). Hoc igitur sensu loquuntur insigniores

a) I. 2. Quæst. 82. Art. 3. b) I. 2. Quæst. 10. c) Præcipue cit. Art. Q. 82. ubi ita disserit: *Tota ordinatio originalis justitiæ ex hoc est, quod voluntas hominis erat Deo subiecta, quæ quidem subiectio primo, & principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes alias partes*



niores Scholastici, quos propterea nemo non intelligit multum differre a recentioribus illis Theologis, quorum supra meminimus, qui dum hominem ob Adæ peccatum donis gratuitis spoliatum esse affirmant; naturales tamen liberi arbitrii vires ne minimam quidem diminutionem per illud passas fuisse, sed, ut ante peccatum, integras permansisse, contrariis Patrum, Conciliorumque Decretis eos nihil morantibus perfracte contendunt.

§. LXV. Quemadmodum vero ex dictis recte conficitur, veram eos peccati originalis notionem de medio tollere, qui naturæ humanæ depravationem, liberique arbitrii infirmitatem, & attenuationem peccato inductam sufficiantur; ita non minus ob intimum doctrinæ nexum æque verum esse consequitur, eosdem de medicinali gratia Christi, qua, ut S. Augustinus ait, *natura vitata sanatur per Medicum Christum*, quamque idem S. Doctor vocat *adjutorium medicinæ Salvatoris nostri* (§. XXXV.) rectam habere non posse sententiam. Nam si in præ-
senti

partes in finem. Unde ex aversione voluntatis a Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebat, est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet - - sicut quiddam materiale. Inordinatio autem aliarum virium animæ præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertantur ad bonum commutabile; quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia; & ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiæ. Rursus in eadem Dist. Quæst. 812. Art. 1. ad 1. Dicendum, inquit, quod sicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas sanitatis; & aliquid habet positive, scilicet ipsos humores inordinate dispositos: ita etiam peccatum originale habet privationem originalis justitiæ, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ. Unde non est privatio pura, sed est quiddam habitus corruptus.

fenti statu naturales liberi arbitrii vires imminutæ, & in deterius mutatæ non sunt, si, ut ajunt, *in nobis, & in Angelis naturalia post peccatum integra remanserunt, quæta essent suapte natura, si nullo dono supernaturali fuissent affecta*; sequitur profecto, hominem nunc non egere alia gratia, quam quæ Angelis, & primo parenti concessa fuit, quamque S. Augustinus vocat *auxilium sine quo Angeli, & Adam velle, & agere non poterant, & cum quo poterant, non autem quò actu vellent, & agerent*. At qui vero gratia illa Angelis, & Protoparenti collata haud dubie *medicinalis* non fuit, cum nulla tum adesset naturæ infirmitas, cui mederi posset: igitur nec in moderno statu homini collata gratia *medicinalis* erit, nec proinde *adjutorium medicinae Salvatoris nostri* recte vocabitur.

§. LXVI. Quam autem istud sit menti S. Augustini contrarium, non solum ex proxime citatis ejus verbis manifestum est; sed ex celebri ejus libro de Correctione, & gratia, quem postremis devexæ jam ætatis annis exaraverat, multo luculentius clarescit, ubi Cap. 10. inter gratiam hominis innocentis, & lapsi distinguens hanc illa *potentioem esse contendit, aitque, primam esse, qua fit, ut habeat homo justitiam, si velit, non qua fiat, ut velit; alteram plus posse, qua etiam fiat, ut velit*. Tum vero Cap. 12. gratiam illam naturæ lapsæ, seu, ut ait, *secundo Adam propriam, medicinalem esse ostendens, subventum est, inquit, infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret; neque adversitate aliqua vinceretur; neque, ut paulò ante agebat, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; ideo infirmis servasse Deum asserit, ut iso donante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent*. Quæ verba, cæcus sit, qui non videat, gratiam Christi medicinalem a gratia Angelis, & primo parenti



renti in statu innocentiae concessa distinctam demonstrare, simul autem manifeste spectare victoriam, quam infirma vitiatæ naturæ voluntas gratia per se efficaci adjuncta ex hujus vitæ tentationibus *indeclinabiliter, & insuperabiliter* reportat; *) non autem, ut perperam adversarii volunt, donum perseverantiæ, quo datur homini, ut in statu gratiæ decedat, nullatenus autem, ut recte vivat.

§. LXVII. His probe pensatis nemo non videt, neque illos rectam de gratia Christi habere posse sententiam, qui de naturæ nostræ corruptione recte non senserint. Tanto enim magis Dei gratiam deprimi necesse, quanto magis naturales liberi arbitrii vires extolluntur.

*) Apposite notat Doctiss. *Habertus*, vocem *insuperabiliter* in mente S. Augustini, & discipulorum ejus non significare voluntatem efficaciter motam non posse resistendo superare divinam motionem, ut volebat *Jansenius*; sed denotare solum, nec concupiscentiam, nec cordis durtiam, nec dæmonum conatus prævalere posse adversus efficacem Dei motionem; eo fere modo, quo dicimus arcem inexpugnabilem, quia hostes nulla vi eam expugnare possunt, quamvis gubernatori liberum sit portas hostibus aperire, & ultro se eis tradere. Sic voluntas efficaci Dei præsidio munita, carnalibus desideriis, quæ *militant adversus animam*, superari non potest; sed tamen ipsa pro sua innata libertate simpliciter, & absolute recedere potest a divino præsidio, & ad oppositum se convertere. Atque hunc in modum S. Hieronymus adversus Jovinianum, & Catholici omnes contra Novatores interpretantur illud I. Joan. 3. v. 9. *omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare*: quia videlicet nec impulsus dæmonum, nec mundi terrores, aut illecebæ dejicere possunt, qui *habitat in adjutorio Altissimi*: quamvis ipse propria sponte, & libero arbitrio recedere possit, quemadmodum primus parens, ut ait *Cornelius a Lapide* in laudatam textum, ita erat immortalis per justitiam originalem, ut mortem accersere potuerit.

tur. Nam cum plura sint, & difficilia Dei præcepta; tantum profecto divinæ gratiæ efficacitati detrahatur, quanto plus virium ad ea implenda arbitrio attribuitur. Hinc removenda ab eo fuit, quoad fieri posset, nativa illius infirmitas, ut bonis operibus perficiendis, præceptisque naturalibus adimplendis illud sufficere defendatur. Quamobrem nemo mirabitur, quod sectatores novelli Systematis, quo gratia Salvatoris tantopere deprimitur, in id viribus omnibus contenderint, ut totam naturæ lapsæ corruptionem in sola originalis justitiæ, donorumque supernaturalium privatione reponerent; naturales autem liberi arbitrii vires, quales ante peccatum fuerant, integras simul, ac expeditas remansisse tuerentur; idque non alio certe consilio, quam ut gratiam utriusque status, nempe naturæ innocentis, & lapsæ prorsus æqualem defendere tutius, liberiusque possent, gratiam inquam duntaxat *sufficientem*, & ut ajunt, *versatilem* ad nutum voluntatis, utpote ejus liberæ determinationi subjectam, quæ dicenda sit *efficax*, si voluntas ei consentiat, *sufficiens* vero, si ei dissentiat.

§. LXVIII. Ex his demum magis patet intimus ille nexus doctrinæ de naturæ lapsæ infirmitate, liberi-que arbitrii attenuatione cum præcipuis christianæ Theologiæ capitibus, & præcipue cum medicinali gratia Christi, cujus necessitatem, vimque ad hominem ab universali illa corruptione liberandum efficacissimam S. Scripturæ, Patrumque traditio tantopere commendant. Hinc *Petrus Tamburini* in dissertatione supra (§. LI.) laudata recte notat: gravissimis viris observatum esse, vel ipsos Thomistas, postquam necessitatis, & efficaciæ gratiæ comprobandæ argumenta, quasi ex sola dependentia causæ secundæ a primigenia sumpsissent, in hanc solam creatorarum a Deo dependentiam comprobendam magis intentos, efficacissima argumenta, quæ pro gratia medi-

civali



cinali petuntur ex infirmitate humanæ naturæ ob Adæ prævaricationem contracta, vel neglexisse, vel ea, qua par est, diligentia non adhibuisse, eosque propterea hac in re discessisse ab Angelico Doctore, qui licet necessitatem, & efficiaciam gratiæ ex dependentia creaturæ a prima causa invictissime comprobaverit; humanæ tamen naturæ infirmitatem semper præ oculis habuit, ex eaque argumenta sumpsit pro gratia medicinali, quam cum alibi sæpe, tum 1. 2. Q. 109. cum S. Augustino expresse stabilivit hoc jacto principio: *natura corrupta sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam.* Nimirum S. Thomas veram gratiæ Christi ideam semper retinuit; hinc de peccati originalis natura, liberique arbitrii infirmitate, & naturæ lapsæ corruptione rectam semper doctrinam retinuit, nec vel minimum passus est eam labefactari falsis de naturalium liberi arbitrii virium integritate opinionibus, quibus postea alii Theologi imbuti doctrinam de gratia Christi magis, magisque obscurarunt, inductoque libertatis æquilibrio, ut notat Card. Gotti, peccati originalis obliti esse videntur. a)

§. LXIX. Quamvis porro ille Patribus usitatus loquendi modus, quo natura humana per peccatum in naturalibus *vulnerata, sauciata, & in deterius mutata* conelamatur, secundum proprium, obviumque verborum sensum, uti oportet acceptus, perspicue nobis indicet, in statu præsentis corruptionis naturales liberi arbitrii vires ad tantam attenuationem, ac diminutionem fuisse redactas, ut tamen si homo *sæpe videat meliora, probetque;* sibi tamen suisque relictis viribus fere semper *deteriora sequatur;* nec de sua, in quam ob peccatum originis incidit, virium defectione, animique languore per semet assurgere vix, ac ne vix quidem possit, sed ut Augusti-

nus

a) De gratia Q. 2. Dub. 5. Num. 26.

nus ait, magna ope, ut inde liberetur, indigeat; a) cavendum tamen est, ne propterea ex iisdem Patrum expressionibus *naturæ bonum in naturali ad virtutem inclinatione* (§. XLVI) situm penitus extinctum, sublatumque colligamus, quod quidem salva hominis natura auferri neutiquam posse ex sequenti S. Thomæ ratiocinio elare dispicimus: *inclinatio ad virtutem, inquit ille, convenit homini, quatenus est rationalis; per peccatum autem non potest fieri, ut non sit rationalis; alioquin non esset amplius homo, nec proinde capax peccati* b). Per peccatum igitur illa ad virtutem inclinatio penitus sublata non est: neque enim, ut Augustinus ait, *adeo in anima humana imago Dei -- detrita est, ut nulla in ea lineamenta velut extrema remanserint.* c) Quare Concilium Trid. recte declarat liberum arbitrium originali peccato fuisse quidem viribus *attenuatum, & inclinatum*; sed non *extinctum* d). *)

F

§. LXX.

- a) Lib. 22. de Civit. Dei Cap. 22. b) 1. 2. Quæst. 85. Art. 2. c) Lib. de Spirit. & Lit. Cap. 28. d) Sess. 6. c. 1.

*) A recto proinde parabolæ scopo, ac genuina Patrum mente profus aberraret, qui illorum in laudatum Lucæ locum commentaria ad extremos usque apices urgenda putaret. Quis enim ignoret, has, & consimiles comparationes, quibus Scriptura, Patresque passim naturam humanam homini ligato, compedibus adstricto, cæco videre volenti, sine alis ad volandum nitenti, aliisque hujusmodi assimilant, meras duntaxat esse metaphoras? quibus nihil profecto aliud indigitare volunt, nisi tum lacrimabilem humani generis conditionem, ex quo *peccante primo homine*, ut Augustinus ait e) *vitium pro natura inolevit*; tum immane illud innata nobis concupiscentiæ pondus, quo *abstracti, & illecti* juxta phrasim S. Jacobi Cap. 1. in malum præcipientes ferimur, illudque Poëtæ: *nitimur in vetitum*, nimis veram esse experimur; tum denique gravem illam difficultatem, seu moralem impotentiam legem Dei implendi, & peccata vitandi,



§. LXX. Naturalis vero illa *ad virtutem inclinatio* post peccatum adhuc in homine superstes, per definitionem nominalem nihil profecto aliud est, quam *connatus virtutis amor*, hominis voluntatem, quæ propria amoris sedes est, inclinans ad agendum ex virtute. Hunc proinde, in quantum *amor* est, ex prælucente cognitione procedere oportere manifestum est: siquidem *nemo potest amare, quod nescit, a) quis enim diligit, aut quis amare valeat, quod ignorat?* b) In quantum vero amor ille *connatus* est; in rem haud dubie obtentu possibilem tendat, oportet: cum originem suam habeat a Deo naturæ omnis auctore, qui *nihil operatur frustra* ex scholæ proverbio, quod in arcem auctoritatis excrevit.

§. LXXI. Quoniam igitur *connatus* ille virtutis amor ab humana, ut diximus, natura in quocunque statu spectata indivulsus, ita necessario comparatus est, ut in incognitum, aut obtentu impossibile ferri, per mox dicta,

tandi, aut certe omnimodam illam, quam patimur, impossibilitatem ad resurgendum e peccatorum cæno, & ad quodcumque supernaturalis ordinis bonum perficiendum, nisi medicinalis gratiæ Christi adjutorio sanemur, & robaremur. Quare scite observat, monetque *Natalis Argonensis, De optima methodo legendorum Ecclesiæ Patrum*: „Quod comparationes attrinet Ecclesiæ Patri-
„bus valde solemnes, quum non omnes omni ex parte
„adæquate fieri possint; iniquus certe foret, qui ea so-
„lum parte, qua vitiosæ sunt, sumere vellet, ut contra
„ipsumet Patres intorqueret: eo quippe sine institutæ
„sunt comparationes, ut res obscuræ innotescant per
„clariores, non autem ut omnibus suis partibus doctri-
„nam, cui explicandæ inserviunt, sustineant, atque sus-
„ulciant. „

a) S. August. Lib. 13. de Trinit. Cap. 4. b) Idem ibid. Lib. 8. Cap. 4. & S. Gregor. Mag. Homil. in Evangel. Unde vulgare illud axioma natum: *nemo amare potest incognitum.*

dicta, omnino nequeat; consequenter in homine vires naturales supponat, cognoscendis æque, ac exequendis virtutum naturalium officiis, atque adeo etiam legis naturalis obligationibus adimplendis, contrariisque vitiis devitandis *physice proportionatas*; inde jam facili conjectura aſſequi proum eſt, huiusmodi vires homini in moderno quoque corruptionis ſtatu haud eſſe uniuerſim denegandas: quamvis eaſdem ob nimium quantum attenuatam ad virtutem inclinationem, & ex aduerſo vehementius prædominantem ad vitia propenſionem (ſ. XLVII.), admodum imbecilles, & quoad difficiliora cumprimis virtutum officia, ob conjunctam *moralem impotentiam*, ut maxime impeditas, inefficaces, & ab actu diſjunctas diffiteri propria cuiuſlibet experientia non ſinat; ſiquidem nemo unus eſt, qui *in ſe plus valere deterius inolitum, quam melius inſolitum* a) humiliter cum Auguſtino confiteri, medicique cœleſtis opem implorare cum Pſalte regio non teneatur: *miferere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine.* b)

F 2

CA-



a) Lib. 8. Confess. Cap. 7. b) Pſal. 6. v. 2.



CAPUT VII.

Quam cautos nos esse oporteat in determinandis natura, & gratia viribus. Discrimen inter vires hominis physicas, & morales, nec non physicam, & moralem agendi impotentiam. Hujus distinctionis utilitas, & notiones. Impotentiae moralis notio cum populari sermone, & communi veterum Theologorum loquendi modo consentit. Quae moraliter impossibilia dicuntur, eadem nunquam existura, quamvis existere absolute possint; eruntur ex S. Scriptura, ex Synodo Tridentina, & S. Augustino. Id ipsum confirmat veterum Theologorum consensus; & obvia in civilibus exempla. Motiorem gratiae efficacis, qua sola tollitur moralis bene agendi impotentia, nihil impedire potest, quo minus suam semper effectum consequatur.

§. LXXII. **Q**uamquam circa originariam hanc, ac praternaturalem adamiticam propaginis depravationem cum Theologis antiquae Patrum doctrinae tenacioribus etiam ipse Cl. Jctus fere consentiat a); in eo tamen immma-

a) Inter notiones preliminares ad Jurisprudentiam universalem pag 7. ait: Haec quam homo patitur contra indolem voluntatis inclinatio in actiones naturali fini suo dissonas, absolute nequit esse creata; haec ergo praternaturalis inclinatio ab ipso homine gravi quodam lapsu contracta ex radice sanguinis in liberos propagata, & ut ita dicam, posteris supernata est.

immane quantum ab iis distare eum vidimus, quod, dum illi hac ipsa naturæ humanæ corruptione utuntur ad moralem hominis impotentiam legem Dei servandi, & peccata vitandi, consequenter & medicinalis gratiæ Christi necessitatem inde demonstrandam; Ipse e contra humanæ naturæ vires naturales juri naturali servando adeo *sufficientes* inesse asserat, ut earum sola virtute hominem legem Dei servare, & sine peccato vivere posse prædicens contendat, secusque sentientes ceu juris naturalis inficiatores traducere, immo erroris censura palam multare prorsus non vereatur (§. XXXII.) Quam autem istud nullo eorum merito? jam supra Capite IV. demonstravimus.

§. LXXIII. Quare cum teste S. Augustino: *duo illa, quid natura ex Adamo contracta possit? quid gratia per Christum operetur in nobis? totius Christianæ fidei fundamenta sunt*; (§. X.) cumque eodem rursus attestante: *Melius Dei causa agatur, cum & Creator, & Salvator agnoscitur; quam cum defensa velut sana, viribusque integris creatura, opitulatio Salvatoris inanitur* a) nemo non videt in harum questionum determinatione, ubi de naturæ, & gratiæ viribus, earumque limitibus definiendis agitur, viro catholico quam cautissime versandum esse, seduloque cavendum, ne præcipiti iudicio in medicinali Christi gratiæ præjudicium, plus, quam oportet, virium corruptæ naturæ tribuamus, neve, ut idem S. Præsul monet, *liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ videamur.* b)

§. LXXIV. Quamvis igitur ad præcavendum omne hac in re errandi periculum sufficere Viro catholico
F 3
debeat

a) Lib. de natur. & gratia contra Pelag. Cap. 43. b) Lib. 2. de peccat. merit. & remiss. Cap. 18.

debeat contestata jam olim Majorum auctoritate, doctrina, longorumque sæculorum velut præscriptione firmata; postquam tamen hujus orthodoxiam nova rursus litis contestatione in apertum discrimen adducere voluisse visus est catholicus Jctus: nemo sane mirabitur, cur ad ecclesiastici dogmatis causam solidioribus argumentis corroborandam, & adversus novellos insultus strenue vindicandam animum adjecerimus? parendum enim duximus Augustino monenti: *novi divinæ gratiæ inimici incautis novas semper ponunt tendiculas: contra quos scribere oportet, etiam quum periculum quemquam seducendi abest a*).

Quo vero omnis hac in re auferatur cavillationis occasio, simul autem magis pateat, in quo præsentis Thematis summa versetur: vel ipse rectus differendi ordo, nexusque doctrinæ postulat ea prius meliori in lumine collocare, quæ circa *morales, physicæque* hominis vires, uti & *physicam, moralemque* agendi impotentiam veteres cumprimis Theologi ad plures Theologicas difficultates elevandas præcipere consueverunt.

§. LXXV. Est igitur vis *physica* virtus activa operi faciendo proportionata. Vnde & *potentia* seu facultas hujusmodi viribus pollens dicitur *physica*; sicut e diverso virium talium defectus, seu virtutis activæ cum opere faciendo improportio *physicam* constituit *impotentiam*. Talem impotentiam patitur infirmus ex diutino, gravi-que morbo recentius convalescens comparate ad longius iter pedestre aggrediendum, respectu cujus homo vegetus, & laboribus alias assuetus, *physica* gaudet potentia.

Vis vero *moralis* est virtus activa operi faciendo non solum accommodata, sed etiam expedita, nullisque diffi-

a) Tom. 10. pag. 412. Edit. Vener. 1733.

difficultatibus, saltem quæ graviores sint, præpedita, quæ ab opere suscipiendo absterreant. Unde quemadmodum *potentia* viribus ita expeditis instructa *moralis* dicitur; ita ex opposito *gravis* quælibet *difficultas* cum viribus physicis conjuncta, *moralement* inducit *impotentiam*; qualem cernere est in homine alioqui robusto, sed delicato, & deliciis innutrito, qui quamvis ad superandas longioris pedestris itineris molestias vires physicas proportionatas habeat, ac *physice* sufficientes; spectata tamen illius vivendi ratione omnino molli ac effaminata nusquam illas exeret nimix difficultatis obtentu, ob quam *moralement* patitur *impotentiam*.

§. LXXVI. Inde jam porro liquet, quidnam discriminis *physicam* inter & *moralement* *impossibilitatem* intercedat. Enimvero *physice impossibile* illud dicitur, quod vires præsentis exuperat, absolutamque non agendi necessitatem inducit, atque adeo a peccato prorsus excusat: siquidem omne peccatum voluntarium, & a necessitate physica liberum esse oportere res est in vulgus nota: *hoc enim ita manifestum esse*, ajebat Augustinus, *ut nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat: imo peccati reum tenere aliquem, quia non fecit, quod facere non potuit* (intellige potentia physica) *summæ, inquit, iniquitatis & insanix est a*).

Moraliter impossibile juxta communem, usitatumque loquendi morem illud dicimus, quod etsi vires physicas absolute non superet; ita tamen arduum est, atque difficile, ut voluntas sibi relicta nunquam se ad illud sit determinatura. Hinc in vulgari etiam sermone impossibilia dici consueverunt non solum ea, quæ viribus sunt superiora; sed & quæ ita difficilia sunt, ut movere se



ad illa voluntas nolit. Sic vulgo dici audias: *non possum*, aut *impossibile mihi est hanc ei prestare gratiam: tantam condonare injuriam: necesse est hanc ulcisci ignominiam.*

§. LXXVII. Facile vero intelligitur hoc, aliove simili loquendi modo non aliam significari impossibilitatem, impotentiam, ac necessitatem, quam *moralem, secundum quid*, ac *improprie dictam*, ab impossibilitate *physica, simplici, & absoluta* distinctam. Sicut e contra, cum dicimus: posse nos aliquid *physice, absolute, & simpliciter* facere; voces hæ ex communi hominum acceptione potentiam significant, quæ præsentis habet vires ad hic, & nunc agendum, aut resistendum physice pares, servantque ad distinguendam *impotentiam physicam*, seu proprie dictam, ab *impotentia morali*, seu secundum quid, & improprie dicta. Sic dicimus nobilem v. c. matronam viribus valentem, atque robustam trium, quatuorque leucarum iter pedibus conficere posse physice, & absolute; sed spectata ratione vivendi omnino molli, ac voluptaria non posse moraliter tanti itineris molestias sustinere. Dicimus autem postea, *moralem hanc impotentiam, ac necessitatem*, quamvis libertatem minuat, eam tamen non profus tollere, nec proinde a peccato excusare. Unde S. Augustinus Julianum subinde affatus aiebat: *multum erras, si nullam putas esse peccandi necessitatem* a), necessitatem, inquam *moralem, & insufficientem*, non *physicam & absolutam*.

§. LXXVIII. Neque aliam *necessitatis, impossibilitatis*, ac *impotentie moralis* notionem veteres habuisse Theologos ex eorum, quæ posthuminum memoriæ reliquerunt, lucubrationibus abunde dispicimus, quippe qui im-

poten-

a) Lib. I. Operis imperf. contra Julian. Num. 105.

potentiam moralem servandi rectitudinem, recteque operan-
 di a nimia difficultate, ex voluntatis infirmitate, ignavia,
 imbecillitate, inconstantia, ac mobilitate oriunda, passim
 repetunt. Sic S. Anselmus a): quod, inquit, non nisi
 difficile facere debemus, dicimus nos hoc facere non posse -
 - Jam dubitari hanc impotentiam servandi rectitudinem
 non debet - - non esse ex impossibilitate (nempe physica,
 vel absoluta) sed ex difficultate: frequenti enim usu dici-
 mus, nos non posse aliquid: non quia nobis est impossibile,
 puta physice, & absolute; sed quia sine difficultate non
 possumus, scilicet morali potentia. Et rursus de Conc.
 grat. & lib. arbitrii Cap. 3. ait: sapissime enim asserere
 solemus impossibile nobis esse, quod sine difficultate perficere
 non valemus. Idem plane jam multo ante notarunt in-
 signes Ecclesiæ Doctores Gregorius Nazian. & Augusti-
 nus: quorum ille: fieri non posse dicitur, inquit, a quo
 nostra voluntas abhorret b); hic vero de peccatore lo-
 quens aiebat: invenit ergo se ligatum difficultatibus cupi-
 ditatum, & non posse viam propter compedes ambulare. In-
 clusum se sentit difficultate vitiorum, & tanquam muro im-
 possibilis erecto, portisque clausis, qua evadat, ut recte
 vivat, non invenit. c) Rursus: cum fortis, inquit, & po-
 tens preparatur voluntas a Domino, facile fit opus pietatis,
 quod prius difficile erat, atque impossibile fuit, puta mora-
 liter. Recte proinde Franciscus Macedo celebris olim
 Theologus, a Card. Norisio impense laudatus Thesi 54.
 in Cortina aiebat: cum gratia inefficaci, & morali qua-
 dam difficultate stare impotentiam moralem ad operandum.
 Nec aliter sentiebat Martinus Grandin per annos 50. re-
 gius in scholis Sorbonicis Professor, cujus opinione ibi
 est moralis impotentia, ubi voluntas vires quidem habet phy-
 sice, & absolute sufficientes, tamen eas adhibitura non est
 ex quadam imbecillitate, ignavia, mobilitate. d) Ex re-
 cepto

a) Dialog. de lib. arbitrii. Cap. 6. b) Orat. 89. c) In
 Psal. 106. d) Tract. de grat. pag. 194



cepto igitur apud probatissimos Theologos loquendi more: *pati moralem necessitatem, ac impotentiam: & pati difficultates, quæ vinci absolute possunt, quæ tamen ex negligentia, ignavia, vel mutabilitate voluntatis humanæ non vincuntur*; sunt phrasæ omnino synonymæ ad idem plane significandum usurpatæ, quæ proinde velut novæ, ac singulares æstimari nequeunt nisi ab illis, qui in veterum Theologorum scriptis admodum hospites sunt, aut in iisdem evolvendis supine desides.

§. LXXIX. Istud porro heic peculiari animadversione dignum est, quod *potentia physica cum morali impotentia conjuncta*; quamvis simpliciter & absolute præsentibus, quas habet vires, exire in actum possit; eam tamen in actum redigi nunquam contingat propter adjunctam, ut diximus, difficultatem, ad quam superandam vires, quas habet, voluntas ex socordia, incuria, vel passione non exerit. Unde sequitur, ut, quæ *moraliter impossibilia* dicuntur, nunquam sint existitura, quamvis existere *absolute* possint. Quod quidem rursus adeo certum exploratumque est, ut nemo, nisi in Scripturarum, Conciliorum, Patrumque, ac præcipue Augustini doctrina admodum peregrinus inficiari istud possit.

Et 1) quidem Joan. 6. ait Christus: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; absolute tamen, & spectatis viribus physicis, quas habet ex gratia inefficaci, potest venire. *Dicitur autem non posse venire, qui non trahitur per gratiam efficacem; non quod absolute non possit, sed quia infallibiliter non veniet* — inquit Bellarminus a) cum Maldonato hunc locum exponens. 2) Justum cum ordinariis gratiæ auxiliis *physice, & absolute*, perseverare in justitia posse satis in-

nuit

a) Lib. de grat. & lib. arbitr. Cap. 8.

nuit Synodus Tridentina, quum *in Dei auxilio firmissimam spem collocare, ac reponere omnes debere docet.* a) Attamen simul definit: *justificatum sine speciali Dei auxilio in accepta justitia non perseveraturum* b) propter difficultatem, & impotentiam moralem cum potentia physica conjunctam. Idem porro Concilium c) declarat eam esse Ecclesiæ catholicæ sententiam, quod Beata Virgo nunquam vel venialiter peccaverit, cum tamen physicam haberet peccandi potentiam, uti observat laudatus Grandin: *B. Virgo, inquit ille, cum speciali suo privilegio retinuit quidem physicam potentiam ad peccandum, moralem tamen non habuit, ut licet ob physicam potentiam, si sola fuisset, potuisset poni actus peccati; tamen ob moralem impotentiam, quæ conjuncta erat, idem peccandi actus poni non potuerit.* d). 3) Denique S. Augustinus ex professo probandum assumpsit, multa esse physice, & absolute possibilia, quæ nec exstiterunt aliquando, nec unquam exstitura sunt, adductisque non nullis exemplis subdit: *& alia sexcenta possunt occurrere, quæ fieri vel potuisse, vel posse fateamur, & eorum tamen exempla, quod facta sint, proferre non valeamus.* e)

§. LXXX. Quid vero antiquiores cum primis Theologos commemorem? excepta enim Molinæ Schola facile omnes consentiunt, hominem nisi gratia efficaci ad opus salutare moveatur, illud infallibiliter non operaturum. In omni sententia, quæ non ponit efficaciam gratiæ in solo consensu, gratia sufficiens, prout ab efficaci distinguitur, effectum suum non obtinet, inquit cit. M. Grandin f): quia nempe cum physica operandi potentia conjuncta est
impo-

a) Sess. 6. Cap. 13. b) Sess. 6. Can. 22. c) Can. 23.
d) Tract. de grat. pag. 240. e) Lib. de Spiritu, & Littera Cap. 1. f) Quæst. 3. de divisione gratiæ. Sect. 3. pag. 240.



impotentia moralis. Communem hanc ævo suo fuisse Theologorum sententiam testatur quoque *Martines de Ripalda* celebris olim in Academia Salmanticensi Theologiæ Professor, qui in operibus Lugdani anno 1666. editis ita scribit: *Supponimus dari, quod actus liberi impossibilitatem moralem conjunctam habeant cum possibilitate physica - - - Querimus autem, an ea impossibilitas moralis intercedat ex vi impulsus gratiæ quoad dissensum ipsius?* tum vero continenter respondens ita prosequitur: *communis, inquit, Theologorum sententia affirmat; quin nec noverim unum, qui negat. Quod stabilire promptum est ex S. Literis, Ecclesiæ Paribus, Theologicisque rationibus.* Harum duas sequentibus profert: 1) *quia ad moralem Dei providentiam, & potentiam spectat, ita subdere sibi arbitrium creatum, ut possit ab eo certo certitudine objectiva tenente se ex parte gratiæ obtinere consensum, quando, & quomodo Deus voluerit: at id Deus non posset, si motio gratiæ non posset reddere dissensum moraliter impossibilem - - - 2) possunt cogitationes, & affectiones boni delectabilis reddere dissensum nostræ voluntatis moraliter impossibilem, ut concors est omnium Theologorum sententia: ergo etiam cogitationes, & affectiones boni honesti: tum quia non est minus potens bonum impulsus Dei, quam impulsus dæmonis, & naturæ in malum: tum quia bonum honestum secundum se non est minus amabile a voluntate rationali, quam bonum delectabile. a)*

§. LXXXI. Superfedemus pluribus aliis hanc in rem testimoniis allegandis, ne lectoris patientia abutamur; unum tamen præ cæteris omni exceptione majus, majorisque ponderis præterire non possumus, nempe Eminentiss. Cardinalis de *Bissy* Meldensium Episcopi, & Sorbonici Doctoris, accerrimi olim Jansenitarum impugna-

a) Lib. 5. de auxiliis supernatur. grat. Disp. 109, Sect. 2.

pugnatoris, qui in suo Mandato, seu Instruktionem ad suum Clerum an. 1710. data, adeoque non tam privati Doctoris, quam Pastoralis officii auctoritate pag. 175. &c. fidem facit: „*præter S. Thomæ discipulos, alios quoque*
 „*Theologos catholicos constituere gratiam efficacem in de-*
 „*lectatione victrici superante cupiditatem, communiter-*
 „*que defendere: determinationem hujus gratiæ non esse*
 „*nisi moralem.* Juxta eosdem Theologos gratias duo-
 „*rum statuum esse diversas.* Gratias statui innocentie
 „*proprias dedisse duntaxat potentiam faciendi bonum,*
 „*Gratias autem interiores status præsentis duorum gene-*
 „*rum esse: alias quæ dant posse operari bonum; alias,*
 „*quæ illud efficiunt.* *Sine gratia boni effectrice seu effi-*
 „*caci nunquam futurum, ut homo ex sola gratia sufficienti*
 „*bonum operetur.* Cur autem voluntas opus habeat de-
 „*terminatione gratiæ, quæ operationem boni efficiat; id*
 „*provenire ex difficultate illud volendi, quam patitur vo-*
 „*luntas post peccatum ob propensionem ejus in malum,*
 „*quod est ex morali impotentia.* „ Demum pag. 288.
 ait, *optime conciliari posse Canones, & Capita Concilii Tri-*
dent. sequendo ordinarias loquendi regulas, secundum quas
videlicet impossibile dicimus, quod est valde difficile. In-
 tegrum textum gallico idiomate descriptum videtis apud
 Lud. Habertum a). De communi ergo Theologorum hanc
 in rem consensu nullus relinquitur dubitandi locus. *)

§. LXXXII.

a) Tract. de gratia Edit. August. Vindel. in 8vo p. 585.
657. & 674

*) Ad pleniorum hujus veterum Theologorum sententiæ in-
 telligentiam hæud supervacaneum putem, ea quoque huc
 transferre, quæ doctiss. Isambertus regius olim in
 Scholis Sorbonicis Professor in Tractatu suo de gratia
 tradiderat, priusquam Jansenii liber publicam lucem
 aspexisset. Is igitur Questionem de gratiæ efficacia



§. LXXXII. Sed neque demum obvia defunt etiam in civilibus exempla hujusmodi potentie physice cum morali impotentia conjunctæ, quæ nunquam redigatur in

Disp. 5. Art. 2. pag. 411. ita orditur: *Quia pia memoria Summus Pontif. Clemens VIII. die 20. Martii anno 1602. declaravit Congregationi vulgo dictæ de Auxiliis, uti referunt, qui hoc ipso die Congregationi aderant, mentem ejus esse restringere totam disputationem de gratia efficaci ad normam & regulam doctrinæ S. Augustini: tum quod ipsa Ecclesiæ acies ita per 20. annos dimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut illo duce vicerit: - - - tum quod S. Augustinus adeo fuit eruditus & versatus in iis, quæ spectant ad gratiam, ut nihil eorum videatur omisisse: tum denique quia alii omnes summi Pontifices (quos longa serie refert) - - - acres fuerunt asseriores, & vindices doctrinæ S. Augustini de gratia tanquam verissimæ; ita & nos conabimur sinceram hujus gratia naturam exprimere juxta mentem S. Augustini.* His præmissis, postquam celebris ille Theologus sententiam Molinæ, Thomistarum de præmouione physica, & Congruistarum rejecerat; suam sententiam pag. 414. his verbis statuit: *Tandem gratia illa, quæ intellectus sic illuminatur, ut quod latebat, speriat; quod antea non delectabat, ita sit suave voluntati, ut hæc per illam re ipsa vincat, quidquid occurrit in oppositum, & qua etiam omnia externa impedimenta tolluntur, vel defacto superantur, est nutritiva major ea gratia, quæ solum illuminat intellectum, delectat quidem voluntatem; non tamen reddit illam re ipsa victricem eorum, quæ in contrarium ei opponuntur.* Tum pag. 334. docet ejusmodi gratiæ efficaciam non excludere libertatem, ait enim: *consensus in gratiam vocantem, sic sequitur infallibiliter, ut tamen libere, & absque necessitate exerceatur, etiam cum potentia ad dissensum ponendum, qui nihilominus nunquam defacto ponetur.* Ex mente igitur hujus Doctoris omnis gratia sive in sensu theologico sufficiens, sive efficax consistit in suavitare, seu delectatione, cum hac tamen differentia, quod voluntas per illam, etsi possit, actu tamen non vincat difficultates; per hanc vero insuperabiliter operetur, libere tamen, & minime necessario.



in actum. Sic mendicus v. g. nunquam respuet oblatam sibi largiorem stipem, esto hanc respuere, spectata potentia physica, simpliciter, & absolute possit. Quis sanæ, & tranquillæ mentis præcipitem se dabit e superiore domus cænaculo? quamvis ad hoc quisque physicam potentiam, libertatemque habeat: alioquin enim peccati excusationem haberet, qui metu mortis pejerat, aut veram Religionem abjurat. Et nunquid mercator lucris intentus occasionem unquam negliget magni quæstus sine difficultate, & periculo faciendi? Addi hic commode potest exemplum illud, quod S. Augustinus profert

Quam demum idem Theologus hanc sibi difficultatem opposuisset, nimirum delectationem illam victricem nihil aliud fore, quam Thomistarum præmotionem physicam; hanc objectionem continenter ita solvit: *Responderur in actuali gratia efficaci duo posse distingui: primum est ipsa tanta, & tam perfecta entitas, sic illustrans intellectum, & movens affectum voluntatis; alterum est modus, quo hæc gratia agit in voluntatem, ut trahat illam ad assensum. Primum, quia est ita aliquid morale, ut tamen sit etiam aliquid physicum, & reale; recte potest attribui omnipotentia Dei - - - At si consideremus modum illum, quo hæc gratia agit in voluntatem ejus, qui vocatur a Deo: ille est tantum moralis, & non efficiens physice. Igitur in gratia efficaci est aliquid physicum, & aliquid morale. Ipsa illustratio intellectus, & indeliberata voluntatis motio, seu inspiratio sunt aliquid physicum, quod Deus operatur in nobis sine nobis libere agentibus; causalitas vero, seu modus agendi, & ad actionem liberam voluntatem determinandi, est moralis: quia gratia interior delectando seu per modum allicientis, & iulectantis operatur; non secus ac innatus amor vitæ ad ea, quæ mortem accersere possent, fugienda, & vehemens passio ad peccandum determinat, nisi gratiæ auxilium præveniat, & adjuvet voluntatem. Unde illud S. Augustini Tract. 26. in Joann. *Trahit sua quemque voluptas, non necessitas, nempe physica; non obligatio, sed delectatio - - - amando trahitur, cordis vinculo trahitur.**



fert de quodam Mimo, qui, ut ait S. Doct̃or, cum se promississet in theatro, quid in animo haberent, & quid velent omnes, esse dicturum - - suspensis, & silentibus omnibus dixisse perhibetur: vili vultis emere, & caro vendere. In quo dicto levissimi Scenici, omnes tamen conscientias invenerunt suas, eisque vera ante oculos omnium constituta, & tam improvisa dicenti admirabili favore plauserunt. a) Attamen opportune isthic observandum, contingere aliquando posse, ut quod alias in allatis exemplis moraliter impossibile censetur, mutatis rerum circumstantiis evadat moraliter possibile. Sic commiseratio subinde vincit affectum moraliter determinantem ad emendum vilius, & emendum carius, efficitque, quemadmodum loco citato observat S. Augustinus, ut vir misericors absque ulla difficultate, & sine morali impotentia viliori pretio vendat pauperi, & ab eo emat cariori, inquit *Habertus*.

§. LXXXIII. Non eodem modo, sed prorsus aliter se res habet circa motionem gratiæ efficacis moraliter ad opus bonum voluntatem determinantis, quam, ut ex Augustino didicimus (§. LXV.) *infirmis servavit Deus, ut eo donante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent*: hæc enim tantæ virtutis est, ut nulla cordis durities, nullæ demum circumstantiæ impedire possint, quo minus suum semper effectum consequatur, quamvis ei voluntas spectatis viribus physicis resistere absolute possit: hæc quippe gratia, ex eodem S. Doct̃ore, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur b), quæ propositio formaliter æquivalet huic universaliter neganti: *nullus resistit gratiæ efficaci*: esto enim physice, & absolute

a) Lib. 13. de Trinit, Cap. 3. b) Lib. de Prædest. Sanct. Cap. 8.



lute id possit ob indifferentiam iudicii: quia non adest summi boni praesentia; moraliter tamen non potest: quia adest majoris boni illecebra, inquit P. Tournemine Thesi in Claromontano olim Jesuitarum Collegio propugnata: liberum enim arbitrium, prosequitur in Appendice 7ma de gratia sufficiente, etiamsi majorem illecebram sequatur perpetuo, minorem nunquam non sequi potest. Quamobrem recte S. Thomas: si Deus, inquit, movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen impossibile est simpliciter, ergo moraliter tantum, & secundum quid; unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate, nempe physica, & absoluta moveatur. a)

G

CA-





CAPUT VIII.

Necessitatem, aut impotentiam moralem optime cum libertate constare ostenditur ex SS. Thoma, Bernardo, ac præcipue Augustino. Is quum liberum arbitrium peccato deperditum ait, de illo solum loquitur, quod habuit Adam in paradiso, immine a morali necessitate peccandi, & morali impotentia bene vivendi. Utrumque Adæ posteris inesse salva semper arbitrii libertate, docet aperte idem Augustinus: libertatem propterea voluntatis ab ejus potestate discernens, & hanc sola gratia Salvatoris recuperari ostendens. Hoc libertatis, potestatisque discrimen diligenter præ oculis habendum monet Richardus Victorinus. Cur istud identidem non observaverit Augustinus? excitata de libertatis æquilibrio ab æmulis suis disputatio suavit. Panditur genuinus sensus Augustinianæ phrasæ: quod amplius delectat, secundum id operemur, necesse est. Cur demum plerique recentiores Theologi a distinctione necessitatis, ac impotentiae physicae, & moralis in materia de gratia abhorreant, & quam immerito?

§. LXXXIV. **J**nde vero jam patet, cur, & quomodo hæc difficultas seu impotentia moralis resistendi gratiæ efficaci, aut assentiendi gratiæ in sensu Theologico suffi-

enti

enti (quam plures Theologi spectato sensu grammaticali rectius *inefficacem* dici malunt) congenitæ voluntatis libertati non officiat, sed conciliari cum ea facile possit. Est enim vero hæc *impotentia moralis* impotentia solum improprie, & *secundum quid* dicta (S. LXXVI), quæ sicut *absolutam, simplicemque necessitatem* non inducit; ita & voluntarium, ac liberum non omnino perimit, sed libertatem duntaxat minuit: ideoque juxta S. Thomam non excusat a *toto* peccato, sed solum a *tanto*. Neque enim voluntas etiam gratia *sufficienti*, seu *inefficaci* adjuncta vehementi tentationi succumbit ex *necessitate absoluta*, aut ex defectu, vel imbecillitate divini auxilii; sed ex propria magis, quam post contractam naturæ peccato vitiaræ infirmitatem nobis inesse experimur, mentis ignavia, negligentia, & pravitate voluntatis humanæ, quæ omnes, quas ex gratia habet, vires non exerit adversus præsentem, quam patitur, difficultatem, nec uberius Dei auxilium implorat. Unde idem S. Doctor ait: *quod cupiditas non potest esse cogens absolute liberum arbitrium, quod semper est liberum a coactione; sed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen potest resisti* (puta physice, & absolute) *licet cum difficultate a*). Quare Bellarminus ad argumentum ex auctoritate S. Thomæ deductum recte ita respondet: *Significat, inquit, S. Thomas a passione non necessitari voluntatem necessitate physica; quasi voluntas determinetur ad unum, quomodo determinatur appetitus animalium brutorum: tamen non negat necessitari moraliter, id est, infallibiliter moveri b*) propter conjunctam nempe *resistendi difficultatem*. Porro solus difficultatis obtentus, cur præcepto non obtemperes; quid, amabo, aliud est, quam aperta negligentia, socordia, peccati-

G 2

tique

a) Quæst 24 de Lib. arbitr. Art. 12. ad 12. & 1. 2. Quæst. 10. Art. 3. ubi, quod docuit, ita limitat: *nisi vi lenzia passionis rationem absorbeat.* b) Lib. 5. de Lib. arbitr. Cap. 2.



tique confessio? siquidem negligentia, ex communi omnium iudicio, culpa non vacat.

§. LXXXV. Hanc impotentiam, seu necessitatem moralem libertati voluntatis non officere sequentibus ostendit S. Bernardus ita in Cantica a) scribens: *Interveniente peccato, patitur (homo) quendam vim & ipse; sed a voluntate, non a natura, ut ne sic quidem ingenita libertate privetur. - - - Nescio quo, & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit; ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas cum sit illecta excludere necessitatem puta moralem. Est enim necessitas hæc quodam modo voluntaria, & favorabilis vis premendo blandiens, & blandiendo premens, unde se se rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare ullatenus de ratione queat.* Inde vero sat perspicue apparet S. Doctorem nomine *necessitatis*, quam patitur peccator, non intelligere *absolutam*, quæ excludat libertatem; ac proinde, quæ male egit peccator, esse formaliter peccato fatis innuere, utpote voluntaria, & libera: *voluntarium enim, & liberum* synonyma esse apud S. Bernardum, proinde, ac apud S. Augustinum, aliosque Patres, norunt, qui in Patrum scriptis diligentius versati sunt. Quæ vero heic de victrici peccati delectatione dicta sunt, ad victricem gratiæ delectationem cum proportionem transferenda esse, recte observat Hubertus b). Est enim & ipsa gratiæ victricis delectatio vis quædam blandiens, quæ voluntatem ingenita libertate non privat, cui proinde resisti absolute potest; sed vires ad id nunquam adhibituram prævidit, qui per Prophetam veridice dixit: *faciam ut in præceptis meis ambuletis.* c)

§. LXXXVI.

a) Serm. 18. b) Tractat. de gratia pag. mihi 610. c) Ezech. 18.



§. LXXXVI. Necessitatem, seu impotentiam moralem cum libertate consistere posse adeo quoque certum Augustino visum est, ut propterea Julianum erroris arguendum putaverit, quod esse aliquam peccandi necessitatem negasset. (§. LXXVII.) At certe erroris Julianum arguere S. Doctor non potuisset, si hæreticus ille absolutam peccandi necessitatem inficiatus esset: nam *peccati reum tenere aliquem, qui non facit, quod facere non potuit*, adeoque, qui quidquam faciendi, vel non faciendi absoluta necessitate premitur, rem esse summæ iniquitatis, ac dementiæ S. Augustinus ipsemet agnovit (§. LXXVI). Necessitatem igitur moralem cum peccati reatu, consequenter & cum libertate consistere S. Præful indubitanter existimavit. Quare, cum Pelagiani contenderent in eo nullum esse peccatum, qui moralem patitur necessitatem, hoc est, gravem difficultatem, cui absolute resisti possit; idem S. Augustinus eis hoc modo recte respondit: *Sed hoc non vident, quod ad nonnulla superanda, quæ vel male cupiuntur, vel quæ male metuantur, magnis aliquando, & totis viribus opus sit voluntati, quas nos non in omnibus perfecte adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridice dici voluit: non justificatur in conspectu tuo omnis vivens a). Semper ergo est in nobis voluntas libera (videlicet a necessitate antecedenti, & absoluta) sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala; aut a peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona. b).* Quis vero non videat his omnibus ab Augustino designari accidentales illas, & adventitias libertates, servitutes, necessitates, potentias, ac impotentias morales, quæ a pravis rectisque affectibus veniunt, prout horum quisque ad bonum, malumve hominem sibi servum devincit, inclinat, ac rapit?

G 3

§. LXXXVII.

a) Lib. 2. de peccat. merit. Cap. 3. b) Lib. de gratia, & Lib. arbitrio Cap. 15.



§. LXXXVII. Inde porro patet, quid sibi velint illæ ab eodem S. Doctore toties repetita phrasæ, quibus asserit: *Liberum arbitrium peccato perditum esse a), & amissum b).* Nempe de illo libero arbitrio loquitur, quod habuit primus homo ante lapsum, immune videlicet a *moralis necessitate* peccandi, & ab *impotentia moralis* operandi iustitiam, quam immunitatem peccando perdidit Adam, & cuius jacturam subierunt posteri ejus omnes in servitutem peccati, carnisque redacti; ac proinde neminem nostrum jam habere illam *possibilitatem boni, & mali parem a Deo primo homini insitam velut radicem fructiferam*, uti contendebat Pelagius (§. LVI). Hinc quoniam subinde Pelagianæ ex illis S. Augustini verbis criminandi occasionem sumebant, perinde si S. Pater *sublatum* fuisse *liberum arbitrium* dixisset, quantum ad id, quod in eo essentiale est, nempe quoad electivam animæ facultatem ab antecedente simplici, & absoluta necessitate immunem: idcirco illiberalem hanc criminationem explodens: *quis, inquit, nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perit per peccatum, sed quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia c).* Et rursus contra Julianum disputans, ait: *Multa sunt, quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere; sed nulli tam liberum est, quam illi fuit, qui Deo suo, a quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat d).*

§. LXXXVIII. Habes igitur, quo sensu S. Augustinus peccato *perditum, & amissum* liberum arbitrium asserat: hac enim phrasi nihil aliud ille vult, quam per-
iisse

- a) Enehirid. ad Laur. Cap. 30. b) Lib. 14. de Civit. Dei. Cap. 2. c) Lib. 1. contra duas Epistolas Pelagian. Cap. 2. d) Lib. 1. Operis imperf. Cap. 47.

iisse in homine peccante primævam illam libertatem conditionis humanæ ad bonum faciendum, & ad præstanda charitatis officia expeditam. Hoc est, ut egregie commentatur Vir celeberr. *Lud. Muratorius* a) hominem, postquam se peccato addixit, & regnantis concupiscentiæ jugum subiit, promptitudine illa, & facilitate, seu *moralis potentia* destitutum fuisse, qua primus homo polebat ad amandum incommutabile bonum divinamque legem implendam; e contra a dominante cupiditate acriter stimulari, impotentique ardore ferri ad amorem boni commutabilis, & perficienda opera carnis. Nisi ergo divinus Reparator nos liberet ab hujusmodi vinculis, nisi gratia sua, atque inspiratione charitatis, tyrannidem peccati, & prævæ cupiditatis ab homine volente depellat; nunquam liber, & expeditus homo erit ad virtutem amandam, & peragenda opera justitiæ, uti & quantum opus est ad æternam salutem consequendam; sed quidem expeditus erit, & liber ad obsequendum legi peccati, & ad prava opera complenda. Ex hoc autem libertatis adventitiæ defectu perire in homine essentialem, naturalemque facultatem liberi arbitrii, nunquam Augustinus docuit; imo eam subsistere semper, ut vidimus, expressis verbis confessus est; quocirca ad Innocentium I. Pp. suo, & aliorum quatuor Episcoporum nomine scribens agebat: *Ad non peccandum, id est ad non male faciendum quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis; tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas.* b) Et iterum alibi Pelagium arguens: *quid est, inquit, quod iste libero arbitrio vult bene vivendi tribuere potestatem, cum hæc potestas non detur nisi gratia Dei* c)? Vides quemadmodum istic S. Doctor libertatem a potestate, seu morali potentia non peccandi, beneque viven-

G 4

di

a) In opere supra (§. III.) cit. Cap. 8. pag. mihi 233. col. 1. b) Epist. ad Innocent. I. olim 93. nunc 177. c) Lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. Cap. 2.



di diligenter distinguat, & sine hac, consequenter cum opposita morali impotentia libertatis indifferentiam posse salvam consistere haud obscure innuat? ut proinde isthoc libertatis, potestatisque discrimen in definitione liberi arbitrii a multis Theologis, aut ignoratum, aut dissimulatum jure, meritoque reprehendat *Richardus Victorinus* a).

§. LXXXIX. Est igitur discrimen hoc ad vitandam omnem hac in re Logomachiam semper præ oculis habendum, ne fors continuo negatam arbitrii libertatem putes, quum audis peccato hominis sublatam non peccandi, beneque vivendi potestatem; modo diligenter caveas, ne quod de *expedita* solum potestate, seu *morali potentia* intelligendum Augustinus non obscure innuit, etiam de *absoluta* potestate, seu potentia *physica* ab eo dictum existimes.

Neque mirum cuiquam videatur, si S. Doctor non attento illo libertatis, potestatisque discrimine absolute subinde pronunciaverit: *victore peccato amissum esse liberum arbitrium* b): quippe quem ad ita loquendum æmulorum suorum disputatio compulsi. Enimvero tale liberum arbitrium peccato amissum recte affirmabat

Augu-

a) Lib. de Erud. Inter. Cap. 30. *Aliud est, inquit, arbitrii potestas, atque aliud est arbitrii libertas. Aliud est enim magna posse, atque aliud est liberum esse. Et liber, & infirmus esse potes; sicut e contrario & sanus & servus esse potes &c. Quam multi in definitione liberi arbitrii errant, quia inter potestatem, & libertatem distinguere ignorant, aut dissimulant! Vide tamen quid intersit, quum potestatem homo sæpe amittat; libertatem vero nunquam amittere potest. Item nemo ad omnia bona accipit potestatem; sed omnis homo ad omnia bona vel mala accipit libertatem. Observatio sane in rem nostram omnibus plurimum commendanda,*

b) In Enchirid. ad Laur. Cap. 30.

Augustinus, quale post *Adæ* lapsum in nobis relictum fuisse male contendebat cum *Pelagio Julianus*; nempe quoad potestatem utriusque, boni scilicet, & mali, parem, seu quantum ad æquilibrium illud, in quo conditus erat *Adam*, in naturali, & æquali ad utramque partem flexibilitate situm, quod ceu gratiæ *Salvatoris* inimicum *S. Doctor* semper exhorruit, uti patet ex pluribus locis, sed præcipue ex *Epistola ad Paulinum*, in qua *Pelagium* propterea nominatim vellicat, atque refellit: *Aliquando*, inquit, ita paribus momentis potestatem voluntatis æqua lance pendit, ut quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere definiat *Pelagius*: quod si ita est: nullus locus adjutorio gratiæ reservatur, sine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere a). Similiter, cum *Julianus* liberum arbitrium in tali æquilibrio esse contenderet, ut tam liberum sit *Deo imperanti obedire*, quam *diabolo suadenti*; confestim æmulo suo idem *S. Pater* respondit: verum dicitis: hoc est liberum arbitrium; tale omnino accepit *Adam*; sed quod datum est a *Deo conditore*, & a *deceptore vitiatum*, utique a *Salvatore sanandum est* b). Inde vero evidenter patet, potestatem illam liberi arbitrii in perfecto ad utramque partem æquilibrio sitam, quam prædicabat cum *Pelagio Julianus*, ab *Augustino* impugnatam ideo fuisse, quod hanc ad solum statum innocentiæ olim pertinentem, sed originariæ prævaricationis vitio postea deperditam, nec nisi forla *Salvatoris gratiæ* recuperandam existimasset. Quare dum *S. Doctor* peccato deperditum esse illud æquilibrium contendebat, perinde est, ac si peccato inductam moralem peccandi necessitatem, & e contra bene operandi moralem impotentiam affirmasset: neque enim æquilibrium illud

a) *Epist.* 186. b) *Lib.* 3. *Operis imperf.* num. 110. & n. 117. liberum arbitrium inftar libræ ex utraque parte per æqualia momenta suspensum, libræ vocat *de. i. rantiæ Juliani*.



illud tolli aliter, perdidique poterat, nisi per subsecutam nimis gravem, quam experimur, in prosecutione boni, æque ac fuga mali *difficultatem*, in qua moralem impotentiam, necessitatemque esse sitam supra diximus (§. LXXV. & LXXVI). Quare plures non immerito censent de hac necessitate accipiendum esse illud Augustini dictum: *quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est.* *)

§. XC. Hæc, cum certa omnino, explorataque sint: mirari jam subit, qua ratione contingat priscum illum usum distinctionis *physicam* inter, & *moralem impotentiam*, aut *necessitatem* recentiores plerosque Theologos

*) Visum est nonnullis Theologis S. Doctorem istic intelligi oportere de delectatione consequente liberum voluntatis consensum. Sed rectius aliis loqui videtur de delectatione præcedente omnem motum liberi arbitrii, illudque excitante tam ad consensum, quam ad opus ipsum; quin tamen inferat absolutam necessitatem, seu relativam resistendi impotentiam simpliciter & proprie dictam; alias dicendus esset S. Pater suam postea sententiam mutasse ac correxisse in Lib. de Spirit. & lit. Cap. 30. ubi ait: *cum potestas datur non necessitas utriusque imponitur.* Et Cap. 33. *Agit Deus, ut velimus, & credamus . . . sed consentire vel dissentire posse, propria voluntatis est.* Textus igitur ille, de quo hic agitur, quemque adversarii quidam urgent contra catholicam de libertate doctrinam, nihil eos juvat de qualibet delectatione accipiatur. Si enim de præveniente consensum sumatur, non imponit necessitatem, nisi *secundum quid & improprie dictam*, id est *moralem*: si de consequente consensum; necessitas est solummodo *hypothetica, & consequentiæ*; quomodo reus mortis, qui plus delectatur vita, quam veritate, hoc est, qui salutem corporis præfert veritati, interrogatus a Judice necessario pejerat necessitate finis & consequentiæ, quia aliter vitare mortem nequit. Sed necessitas ista consequens non officit libertati: cum absolute, & simpliciter necessarium non fuerit, ut pluris faceret vitam, quam veritatem, inquit *Haberus*,


gos in materia de gratia adeo aspernari, ut in vicem ejus distinctionem *sensus compositi*, & *divisi*, uti Thomistæ omnes; aut distinctionem *potentiæ impeditæ*, & ab actu disjunctæ, vel *expeditæ*, & *cum actu conjunctæ*, uti Augustinianorum plerique surrogatam velint. Unde cum veteres dixerunt voluntatem gratiæ efficaci motam dissentire gratiæ posse *potentiâ physica*, non autem posse potentiâ morali; recentiores e contra dicere malunt dissentire posse vel in *sensu diviso*, vel *potentiâ ab actu disjunctâ*, & *impeditâ*, seu *potentiâ possibilitatis*; dissentire vero non posse in *sensu composito*, vel *potentiâ cum actu conjunctâ*, & *expeditâ*, seu potentiâ, quod ajunt, *positionis*, aut *futuretionis*: consequenter voluntatem gratiæ efficaci necessario consentire juxta veteres *necessitate morali*; secundum recentiores vero Theologos *necessitate infallibilitatis*. Cur igitur a præso illo loquendi, ac distinguendi more sequioris ævi Theologi recedendum putaverint, quamvis sensu ipso, & re per verba significata utrobique fere conveniant? aliam certe causam non invenio, præter odium, & contemptum hæresis Jansenianæ, cujus sectatores, ad securius declinandam hæreseos invidiam, virusque erroris facilius occultandum, mutuato hoc a veteribus idiomate subinde locuti sunt, sed in sensu captioso, & a communi, usitatoque loquendi more profus alieno; prout recte observatum est ab iis, qui reconditiora erronei hujus Systematis principia diligentius rimati sunt, qua de re consulendus præ cæteris Lud. Habertus a).

§. XCI. At merito nihil absurdius S. Augustino visum est, quam *oves debere pelles suas deponere, quod aliquando eis lupi se contegant* b). Quæ profecto causa si
justa

a) Tract. de gratia Christi Cap. XVI. §. 7. ad objectionem tertiam respondens. b) Lib. 2. de Serm. Domini in monte Cap. 12.



justa sit recedendi a semitis antiquis, quas inoffenso pede nostri trivere majores; verendum sane, ne propterea Ecclesiam quoque ipsam in crimen vocemus, quod antiquam S. Augustini de gratia doctrinam jam pridem non abjecerit, cujus auctoritate veteris non minus, quam sequioris ævi hæretici ad erroris sui patrocinium sæpe numero abusi sunt. Nulla igitur sufficiens ratio superpetit, cur majorum nostrorum vestigia deseramus; præsertim, cum ex hæctenus dictis satis pateat, tantum abesse, ut ipsa eorum distinguendi ratio ad insolentis, aut periculosi sermonis invidiam trahi a quoquam possit, ut potius fatendum sit, distinctione hac clarius, ac distinctius exponi, & determinari, quænam sit illa difficultas dissentiendi gratiæ efficaci, & assentiendi gratiæ sensu theologico sufficienti? hujusque distinctionis ope efficacius solvi plures S. Scripturæ, Conciliorum, Patrumque, ac Theologorum textus, quibus constanter asseritur, neminem etiam justum solo gratiæ sufficientis, seu inefficacis auxilio posse elicere actum veræ virtutis — totam legem implere — omnia devitare peccata — gravi tentationi resistere — & in accepta justitia perseverare,



CAPUT IX.

Ex hucusque tradita circa originalem naturæ depravationem Patrum doctrina manifestior redditur eorum hallucinatio, qui in definiendis virium liberi arbitrii finibus longius, quam par sit, progressi sunt. Cl. Jctus hac in re sibi haud satis constans. Illius Thesis claudicat, de qualibet legem Dei servandi potentia eam interpretetis; imo modum loquendi continet a Patribus Africanis in Pelagio damnatum. Genuina humanæ infirmitatis notione carent, qui hominem lapsum ad physicam peccata vitandi & legem naturalem servandi impotentiam redactum esse cum Tournehyo male contendunt. Horum opinio ex jam stabilitis principiis refutatur.

§. XCII. **H**is itaque ob necessarium doctrinæ nexum opportune prælibatis diligenter isthic animo recolligenda sunt, quæ supra Capite V, & VI. de generis humani depravatione per Adæ prævaricationem inducta futius profecuti sumus: inde enim tanto facilius quisque intelliget manifesto erroris vitio scaterere; imo a severiore illa Illustriss. Serryi censura excusari vix posse (§. LVI). exoticam eam quorundam Theologorum opinionem, qui, nescio, majorine affectatæ novitatis studio, an venerandæ antiquitatis contemptu persuadere connitebantur: *naturales vires hominis, & liberi arbitrii non fuisse diminutas in natura lapsa.* — *Hominem proinde non mino*



res habere vires, nec minus habilem esse ad bene operandum, quam esset in statu naturæ puræ — imo tam integrum esse in nobis liberum arbitrium quoad naturam, quam fuerat in primis parentibus seclusis supernaturalibus donis — consequenter totam naturæ depravationem fuisse solum amissionem donorum supernaturalium. (§. LV.) Hanc enim doctrinam Pelagianismum olere — peccati originalis naturam evertere: — imo ejus existentiam in discrimen adducere: — denique medicinalem Christi gratiam e medio tollere, jam supra Capite VI. demonstravimus.

§. XCIII. Quamvis vero Cl. Jctus quoad posteriorem hujus doctrinæ articulum ab ejus assertoribus videri alienus velit: quippe qui totam naturæ depravationem per peccatum inductam, non in sola donorum supernaturalium amissione; sed etiam in ipsiusmet naturæ in deterius commutatione, seu, ut ipse ait, in præternaturali, quam homo patitur, contra indolem voluntatis in actiones naturali fini suo dissonas inclinatione gravi, & radicali quodam lapsu contracta, (§. LXXII.), *) sitam esse

*) Immediate ante præmiserat idem Cl. Auctor: omnem actionem humanam naturali fini suo dissonam, si sit frequentata, habitum ita operandi inducere, quo tandem actus imbutus præva inclinationi callum inducit: oppositum voluntatis libertati, quam nemo absque summa virium contentione est recuperando. Hæc si ad Theologicæ critices libellam exigas, obelisci notam vix effugient, sive libertatis nomine eam, quæ est indifferentiæ, sive illam, quæ dicitur æquilibrii Auctor intellexerit. Et inprimis quidem callus ille ex male operandi habitu præva inclinationi obductus, quamvis recte dicatur oppositus libertati æquilibrii; hæc tamen libertatis accidentalitatis species relate ad actus morales bonos, & malos in statu naturæ lapsæ peccato ita periit, ut nulla virium contentione sine medicinali gratia Salvatoris recuperanda sit: de hac quippe loquitur S. Augustinus, dum in

esse aperte fatetur; haud satis tamen constare ipsemet sibi videtur, dum non obstante hac, quam contra indolem voluntatis, hominem pati prævie confessus est, praternaturali in actiones vitiosas propensione, nihilominus paulo-

Enchirid. ad Laurent. Cap. 30. ait: *Libero arbitrio male utens homo, & se perdidit, & ipsum. Quod amissum proprio vitio, inquit Lib. 14. de Civit. Cap. 2. nisi, a quo dari potuit, reddi non potest: quod, ut supra (§. LXXX. ajebat,) Adamo datum a Deo Creatore, sed a deceptore viiarum, nique a Salvatore sanandum est.*

Quodsi vero de libertate essentiali; seu indifferentiæ auctori sermo sit; tum profecto callus ille oppositus esse voluntatis libertati dici è vero non potuit: libertati enim indifferentiæ opponitur *physica, simplex, & absoluta* necessitas; hanc autem libertati non infert qualiscunque etiam inveteratæ consuetudinis callus, licet inferat necessitatem *moralem*, quam libertati nihil officere supra Cap. VIII. ostendimus. Nec aliter sensit S. Thomas, qui Quæst. 6. de malo: *Dicendum, inquit, quod consuetudo facit necessitatem, non simpliciter; nam ex deliberatione quantumcunque consuetus potest contra consuetudinem agere.* Unde contra Calvinum, & Jansenium recte notat doctiss. Petavius Lib. 5. Theol. Dogm. Cap. 10. n. 11. *Quamvis plerique longa vitiorum consuetudine, sic obdurati sint, & occaluerint, ut occasi ne data prope pecudum more, & quadam insuperabili necessitate rapiantur, quocumque eos imperus, ac libido rulerit; nec tamen propterea excussa illis est penitus arbitrii libertas, cui licet absolute reluctari possint, & in contrarium nisi, si velint; non tamen hoc facturi sunt.*

Quamobrem ne hocce Viri clariss. Theorema cuiquam fraudi sit, illud conformiter ad principia hæcenus (§. LXXXVI, & LXXXVIII.) exposita sequenti commentario emendatum reddimus: habitus male operandi prævæ agentis inclinationi callum obducit, oppositum voluntatis *potestatis*, seu potentæ morali in contrarium nitendi; quæ tametsi summa virium contentione physice, & absolute recuperari possit; hæc tamen vires ob conjunctam nempe impo-



paulo post, *naturæ humanæ vires naturales juri naturali servando ita sufficientes* attribuit, ut harum sola virtute *totam legem Dei servare, & sine omni peccato vivere hominem posse* contendat. (§. XXI.)

§. XCIV. Vel igitur de *potentia morali*, seu expedita, & cum actu conjuncta, aut conjugenda; vel de sola potentia *physica*, sed impedita, & ab actu disjuncta Thesis illa procedit. Si prius: ergo manifeste consequitur, *præternaturali ea, quam patimur, in actiones fini naturali dissonas inclinatione*, naturales liberi arbitrii vires nec attritas fuisse, nec in deterius commutatas, sed eas hodie dum in eodem vigore subsistere, quem habuissent, si natura in puris naturalibus condita fuisset, puta, ab omni *morali* bene agendi, malumve devitandi *impotentia* immunes *). Ex quo demum rursus consequi facile intelligitur, inter statum naturæ puræ, & lapsæ, quantum ad naturales bene operandi vires, nullam fore realem differentiam, atque adeo *totam naturæ depravationem peccato inductam solum fuisse donorum supernaturalium amissionem*. Hoc autem pacto quis non continuo videat, Thesis illam in ea omnia incommoda, atque absurda necessario incidere, quæ ex spuria illa recentiorum Theologorum doctrina pullulare paulo ante (§. XCII.) memoravimus.

§. XCV.

impotentiam, non perfecte nos adhibituros prævidit, qui ut Augustinus aiebat, per Prophetam veridice dici voluit: *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*.

*) Id quod heic interim nobis dari petimus, infra in *Specimine Syncretismi* adversus Tournelyum fusius demonstraturis, eam naturæ puræ hypothese inter impossibiles rejiciendam esse, qua ponitur hominem sine peccato, & gratia a Deo condi posse obnoxium iisdem infirmitatibus, atque miseriis, quas nunc patitur, adeoque cum eadem, cui nunc subjacet, *morali bene agendi impotentia*.

§. XCV. Quodsi vero memorata Thesis ad solam *potentiam physicam*, eamque impeditam restringenda sit, ita ut hunc sensum auctor intenderit: *hominem totam Dei legem naturalem servare, & sine peccato vivere posse per vires physice quidem proportionatas; aut, si mavis, etiam physice, & absolute sufficientes **); sed ob conjunctam *moralement impotentiam* sine auxilio gratiæ in actum nunquam redigendas (§. LXXV.); tum quidem Thesis illa nihil commune haberet cum absurdis illis mox memoratæ doctrinæ consecratis; attamen *naturales illas naturæ humanæ vires juri naturali servando*, sine appo- sita restrictionis nota, *sufficientes* asserere Vir Cl. haud recte potuit, quas potius spectata naturæ humanæ infirmitate rectius dicere oportuisset *moraliter sufficientes*. Neque enim grammaticalis, propriusque sensus, aut nativa significandi vis facile patitur vires ad quidpiam agendum *irrestrictè sufficientes* dicere, quæ nisi adventitiæ opis accessu ad actum ipsum per semet nunquam reapse pertinent. Hac de causa non sustinent plerique Theologi gratiæ ex se, & natura sua efficacis defensores, eam gratiam, cui *hominis voluntate resistitur, quæque effectum suum, ad quem ponendum datur, culpa hominis non assequitur*, in sensu grammaticali gratiæ *sufficientis* nomine insigniri: ut propterea merito *Cardinalis Brancatus de Laurea*, saepe se

H

mira-

*) Ex hac vocis limitatione nemo non facile intelligeret, to nihil aliud intendere, quam *physicam* virium legem Dei servandi *impotentiam*, ab *impotentia morali* distinguere, neque hanc, sed illam solum a natura humana remove- re; eo fere modo, quo dum dicimus: posse nos aliquid *physice, simpliciter, & absolute* facere; hac restrictione utimur ad distinguendam *impotentiam physicam a morali* impotentia; nec ex communi hominum acceptione aliud significare velle intelligimur, quam potentiam, quæ præsentis habet vires ad aliquid faciendum *physice* pares, quin propterea *moralement agendi impotentiam* excludere continuo velle videamur. (§. LXXVII.)



miratum esse fateatur, cur Theologi moderni gratiam illam, qua homo excitatur ad bonum faciendum, & effectum non obtinet, vocare cœperint sufficientem a) : contra vim naturæ significationis, quæ inest huic vocabulo sufficiens b).

§. XCVI. Istud quidem adeo exploratum PP. Africanis, & cum his S. Augustino visum est, ut tamen ad non peccandum liberum voluntatis arbitrium, adeoque physicam non peccandi potentiam adesse aperto faterentur; hanc tamen potentiam, seu, ut ajunt, *potestatem, sufficientem* dici posse constanter inficiati sint, ob conjunctam nempe *moralem impotentiam* ex infirmitate contractam: non sufficit, ajunt, arbitrii potestas, nisi adjuvetur *infirmitas*; atque demum aliter dogmatizantes anathemate feriunt (§. XL. n. 2. & 3). Unde Synodus quoque Milevitana in Synodica ad Innocentium Pelagianos perstringens ait: *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adiutorem sibi. Negantes auxilium Dei inquirunt, hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina.* Similiter S. Augustinus, quamvis fateatur: *hominem esse posse sine peccato, per Dei gratiam, & liberum arbitrium (§. XXXVI)*; Pelagium tamen, quod is naturam vitiatam, *tanquam sanam, vel tanquam sibi sufficientem voluntatis arbitrio, posse non peccare* defendisset, non solum redarguit (§. XXXV);

sed

- a) Opuscul. 3. Cap. 2. b) Cit. Opusc. Cap. 101. cui adde Thomam de Lemos, qui in Panoplia gratiæ Lib. 4. P. 2. Tract. 3. Cap. 2. apposite monet: Aliquos ex S. Thomæ discipulis in hoc argumento probe versatos arbitrari, auxilium illud, quod dividitur contra efficax, minus congrue *sufficiens* vocari, cum potissimum S. Thomas auxilium *sufficiens* accipiat pro efficaci, quod actum, seu effectum semper conjunctum habet. Imo mox laudatus Cardinalis loco proxime citato asserere non dubitat: *discrimen inter gratiam sufficientem, & efficacem antiquis Theologis fuisse prorsus inauditum.* Vid. Ex Schmaifus Tract. de auxilio grat. pag. 131.



sed etiam Pelagii, & Cœlestii dogma diris omnibus de-
vovendum pronunciat, quo illi ad præcepta juris natu-
ralis implenda, consequenter & ad peccata vitanda, li-
berum hominis arbitrium sine gratia *sufficere* affirma-
bant (§. XLI.). Denique idem S. Doctor Libro de
Cantico novo docet: *Liberum arbitrium ad malum sufficit*
sibi a): quia nimirum cum *physica* peccandi potentia
moralem quoque conjunctam esse sumit ad peccandum
per semet sufficientem. Dum igitur alibi ait: *ad non*
peccandum, - - quamvis esse non dubitetur arbitrium vo-
luntatis; tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur in-
firmitas b); nihil profecto aliud innuere voluit, quam
inesse quidem voluntati vires naturales ad non pecca-
ndum *physice* proportionatas; sed ob conjunctam *mora-*
lem impotentiam peccato vitando *moraliter insufficientes*;
nec proinde unquam futurum, ut per solas has naturæ
vires sine medicinali gratia Christi omnia legis natura-
lis præcepta impleantur, omniaque peccata reipsa devi-
tentur (§. LXXIX.): quia, ut idem S. Præsul rursus
ait: *homo, & peccare, & non peccare potest; sed alterum*
horum non facit, nisi adjutus a Deo c). Tum vero ali-
bi ita concludit: *si possibilitas naturalis per liberum arbi-*
trium, & ad cognoscendum quomodo vivere debeat, & ad
bene vivendum sufficit sibi; ergo Christus gratis mortuus est.
d). Denique Juliano subinde quærenti: *Tu quomodo*
liberum arbitrium confiteris, tui unum tantummodo dicis esse
possibile, i. e. facere malum, non autem esse possibile desecte-
re a malo, & facere bonum? Aug. argute respondet:
Dico ego, esse possibile voluntati hominis descedere a malo.

H 2

- a) Idem repetit Lib. de corrept. & grat. C. 11. n. 31. b)
Epist. olim 95. nunc 177. suo & aliorum quatuor Epis-
coporum nomine ad Innocentium I. scripta. c) Lib. 1.
Operis imperf. n. 98. d) Lib. de Nat. & grat. C. 4.
n. 47.



& facere bonum; sed ei voluntati, quam Deus adjuvat gratis, non quam Julianus inflat ingratus a).

§. XCVII. Inde jam colligere pronum est, tam arctum istic esse doctrinæ nexum, ut, aut semel agnita *moralis* legem Dei servandi hominis *impotentia*, naturales humanæ naturæ vires juri naturali servando *sufficientes* irrestrictè asserere sine vocis abusu, & nativæ significationis repugnantia omnino nequeas (§. XCV.); aut si hoc asserueris; jam hoc ipso vires illas naturales cum *moralis* legem Dei servandi *potentia* conjunctas, atque ad actualem præceptorum observantiam per semet sine gratia proficientes, contra expressam Patrum auctoritatem (§. Præced.) admittere cogaris.

Atqui vero id ipsum revera est, quod laudatæ Theoseos auctorem intendisse contextus ipse manifestum facit: non enim solum vires naturales juri naturali servando *sufficientes* homini irrestrictè attribuit; sed etiam violati *essentialis rerum ordinis* continenter postulat, si quis hominem *legem Dei servare, & sine peccato vivere non posse* asseruerit; imo *erroris* damnat Ascetam suum, circa hoc doctrinæ caput cum Ecclesiæ Patribus, ut vidimus, conspirantem (§. XXI). Hæcine, amabo, propria sunt hominis aliquam legem Dei servandi, & peccata vitandi *impotentiam* in statu naturæ corruptæ a Majoribus nostris tam liquido, tamque constanter, & sub comminatione anathematis severe inculcatam (§. Præced.) veraciter agnoscentis, fideliterque profitentis?

§. XCVIII. Sed quemadmodum porro, qui cum potentia *physica* *moralem* quoque legem Dei servandi, & peccata vitandi potentiam, seclusa gratia, naturæ humanæ

a) Lib. 3. contra Julian, n. 118;

næ attribuunt, Pelagianæ prodigalitatæ vitio laborare ex dictis Capite IV. facile convincuntur; ita ex adverso nimium illiberalis censerè merito debet eorum in naturam humanam parcitas, qui eidem præter *moralem* simul etiam *physicam* legis naturalis adimplendæ potentiam cum Tournelyo a), aliisque abjudicant, dum præsentem naturæ moraliter infirmæ statum homini comparant ex gravi morbo convalescere occipienti, qui respectu longioris, ac laboriosi itineris *physica* laborat *impotentia* b).

Verum præterquam, quod Tournelyana definitio potentiam physicam, non, ut oportet, solitariam, sed morali potentie confociatam respiciat, hocque pacto utramque præpostere confundat (§. LXXIII.); etiam præterea ipsa ejus inter statum hominis *moraliter*, & *physice* infirmi instituta comparatio, qua parte vires *physicas* relate ad *moralia* juris naturalis officia a statu naturæ lapsæ excludit, prorsus claudicat; rectam imo, ac genuinam notionem infirmitatis humanæ, quam quoad animam ex hæreditaria labis contagione contraximus,

H 3

penissi-

- a) Tom. II. de grat. Christi Quæst. IV. Art. 4. pag. 346. Edit. Col. Agripin. *Potentia*, inquit, *physica*, est ipsa vis activa relative proportionata, & expedita operi faciendo. Vox illa: *expedita*, quæ heic indefinite profertur, satis profecto innuit, auctorem supponere vim activam operi faciendo *expeditam* ab impedimento quolibet tam *physico*, quam *moralis*: Quo pacto, quis non videat, potentiam *physicam* cum *moralis* prorsus confundi? quarum illam *expeditam* quidem esse oportet ab impedimento quovis *physico*; consistere tamen potest cum impedimento *moralis*, cujusmodi est gravis quælibet *difficultas*, quæ *moralem* agendi *impotentiam* inducit, efficitque, ut homo vires, quas habet operi faciendo proportionatas, nunquam exerat. (§. LXXV. & seq.) b) Ibidem pagine 348. Col. 1.



penissime evertit: quippe, quæ *physicam* bene, maleve agendi potentiam, necessario supponit.


§. XCIX. Et istud quidem ex hucusque præmissis facile eruitur, imo sponte consequitur. 1) Enim potentia *physica* est virtus, seu vis activa *physice*, & *relative proportionata* operi faciendo, quamvis alioqui moraliter impossibili (§. LXXV.); sed vero etiam seclusa gratia in statu naturæ corruptæ, ac infirmæ admitti debent homini vires juris naturalis obligationibus adimplendis *physice proportionatæ* (§. LXXI.); ergo & potentia *physica*. 2) Fatetur cum PP. Africanis S. Augustinus *ad non peccandum* consequenter ad servandam legem Dei naturalem, homini lapsio inesse *liberum voluntatis arbitrium* proptereaque *hominem peccare, & non peccare posse* (§. XCVI.) asserit; at liberum arbitrium conciliari quidem cum impotentia morali (§. LXXXIV. & seq.), neutiquam vero consistere cum *physica* necessitate, aut impotentia potest: *physicam* igitur non peccandi potentiam supponit. Et certe verbis proxime citatis aliquam non peccandi potentiam S. Doctor admittit; atqui vero *moralem*, quæ sit cum effectû conjuncta ab homine gratia destituito excludit; siquidem continenter addit: *alterum horum non facere, nisi adjutum gratia Dei: physicam* ergo non peccandi potentiam etiam in homine omni gratia destituito S. Pater indubie agnovit. Qua de causa alibi agebat: *si adjutorium Dei desit, non ideo excusabile est hominis vitium a*); profecto autem excusabile in ea hypothese vitium foret, nisi *physicam* illud vitandi potentiam in peccatore supponas, valeretque proinde vetus illa a Pelagianis objecta, & ab Augustino b) *relata* quorumdam excusatio: peccavimus, quia

(a) Q. 50, in Deuter. b) Lib. de gestis contra Pelagium in Concilio Palestino Cap. 11. ubi Coelestius dixisse fertur?

quia gratiam non accepimus, sine qua non peccare non potuimus. Nusquam autem invenies S. Doctorem huic objectioni ita respondisse, ut diceret, eos propterea *inexcusabiles* esse, quod unicuique auxilium sufficientis gratiæ præsto semper adesset. Cur autem omnibus non semper adsit gratia illa fortior, qua moralis impotentia cum physica non peccandi potentia conjuncta tollatur? S. D. ad inscrutabilia Dei judicia recurrit Epist. ad Xistum verbis Apostoli respondens: *o homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* & loco proxime citato, cur *inexcusabile* sit vitium, si gratia desit? hanc rationem reddit: *quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen justa sunt.* Accedit 3) Quod legis naturalis præcepta, hoc ipso quod naturalia sint, & ratio naturalis dicet ea esse facienda, naturæ humanæ esse consequenter debeant *physice proportionata*; illa igitur homo sine gratia implere potest *potentia physica*: alioquin enim sequeretur, saltem in eorum sententia, qui docent obduratos, & nonnullos infideles, omni gratiæ auxilio destitui; vel non peccare transgrediendo legem naturalem; quod sustineri nequit sine scandalo: vel ad demerendum non requiri libertatem a necessitate *absoluta*, quod SS. PP. Innocentius X & Alexander VII. ceu *hereticum* damnarunt.

H 4

CA.



zur: *si gratia Dei est, quando vincimus peccata: ergo ipse in culpa est, quando a peccato vincimur: quia currimo custodire nos aut non potuit, aut noluit.*



CAPUT X.

Admittenda quoque est homini lapsa potentia physica ad quaslibet tentationes vincendas, si agatur de victoria, quæ præcise ad vitandum peccatum sufficiat. Quæ sententia a Pelagiani erroris invidia liberatur. Graves tentationes sine gratia vinci potentia morali non posse ex solo honestatis naturalis motivo, constans est Ecclesiæ doctrina, a Patribus, & Conciliis perspicue tradita. Cur Patres victoriam omnium tentationum irrestrictè ex adiutorio Dei subinde repetant? accurate explicatur. Prorsus a genuino Patrum sensu aberrant, qui eorum dicta ad solam victoriam vitæ æternæ meritoriam restringunt. Quibus non favent edita a nonnullis infidelibus profanæ fortitudinis exempla. Quomodo gravis tentatio moralem male agendi necessitatem inducat? perspicue declaratur. Hæc necessitas non tollitur nisi per gratiam efficacem, quam etsi non condigne mereri, suppliciter tamen emereri possumus. Hunc in finem precibus assiduis insistendum scriptura, Patresque hortantur.

§. C. **E**x iis porro principiis consequitur, in statu naturæ lapsæ quaslibet tentationes sine gratia vinci posse potentia physica, si nimirum præcise agatur de victoria,
 quæ

quæ sufficiat ad vitandum peccatum, ad quod tentatio impellit. Nam ex dictis (§. I præced.) *potentia physica* est vis activa physice proportionata operi faciendò, quamvis alioquin moraliter impossibili; sed vero homini lapsò inest virtus, seu vis naturalis physice proportionata tentationibus modo prædicto vincendis, sive illæ ex *concupiscentia*, aut alia *passione*, vel etiam a *Dæmone* proveniant: quia juxta exploratissimam Aquinatis doctrinam, neque *cupiditas* (§. LXXXIV.), neque alia *passio* a), non denique *Dæmon* b), necessitatem absolutam inferunt, voluntatemque physice determinant. Igitur homo *gravi* licet tentatione *) exagitatus physice, & absolute resistere, ac dissentire potest, cum liber maneat a physica, & absoluta necessitate. Attamen ita tentatus nunquam sine gratia efficaciter resistet, aut actu dissentiet
ob

- a) 1. 2. Q. 10. Art. 3. ad 2. *Et si ratio obnubilatur a passione, remanet tamen aliquid rationis liberum, & secundum hoc potest aliquis vel totaliter passionem repellere, vel saltem se tenere, ne passionem sequatur.* Et rursus Quæst. 77. Art. 8. *Ratio deliberans potest hic occurrere: potest enim excludere, vel saltem impedire passionem; unde si non occurrat, est peccatum mortale.* Hæc sane valent pro quavis passione, undecunque demum illa proveniat.
- b) In 2. Dist. 21. Quæst. 1. Art. 2. ad 1. *Quamvis potestas Dæmonis sit simpliciter major, quam hominis; tamen quantum ad aliquid non est major, scilicet quantum ad actus liberi arbitrii, qui cogi non possunt: - - - Et ideo potest homo tentationi ejus resistere.* Adde S. Cyrillum Jerosolym. & S. Augustinum, quorum ille Catechesi IV. de diabolo loquens: *solicitare quidem, inquit, potest volentes, cogere neminem valet; alter vero in Psalm. 91. ait: Sathanas ad malum non cogit invitum.*

- *) Per *gravem* tentationem intelligimus quamlibet boni apparentis speciem a carne, mundo, demone vividius excitatam, qua voluntas vehementer ad verum malum sub specie boni apparentis amplexandum inclinatur, aut 2 vero bono profecundo retrahitur.



ob conjunctam cum potentia physica *molestem impotentiam* ex gravi resistendi difficultate profectam (§. LXXV.), quæ semper caret fortunato successu (§. LXXIX.), nisi gratia cælestis aspiret.

Neque doctrina hæc, qua parte *physicam potentiam* vincendis tentationibus proportionatam naturæ vitiatæ attribuit, cuiquam paradoxa, aut peregrina videbitur, qui noverit, eam jam alias in *Congregationibus de Auxiliis*, nemine Patrum contra hiscente, fuisse expositam ab auctore Historiæ de Auxiliis sub adscititio nomine *Theodori Eleutheri* editæ, in qua auctor ita fatur: *Nullum est momentum per se, & seorsim consideratum, in quo non sit homo naturaliter, seu physice liber ad non assentiendum tentationi, vitandumque peccatum; neque per ullum objectum, vel per ullam peccandi illecebram, aut passionem quantumvis vehementem compelli potest liberum arbitrium, & ad consentiendum adigi, dum non absorbetur iudicium rationis, ut est commune axioma Theologorum, docetque expresse S. Thomas 1. 2. Q. 10. Art. 2.; tametsi moraliter necesse sit, aliquo tentationis notabiliter durantis momento tentatum labi, nisi gratia succurat auxilium a*. Id ipsum jam multo ante, nempe ineunte sæculo 14. docuerat *Gregorius Arminensis* insignis Theologus Parisiensis, & Augustinorum Præpositus generalis, qui teste *P. Deschamps* in suo *Antijanseniano* b) ita scribebat c): *satis patet; quod etiam veri justî, & in potentia (intellige physica) existentes, ut tentationibus fortiter resstant, & in peccatum non cadant, indigeant adhuc speciali auxilio Dei, & sine illo non possent (puta potentia morali) resistere, quin cederent in peccatum.*

§. CI.

a) Lib. 4. Cap. 14. b) Lib. 3. Disp. 4. c. 18. c) In Lib. 2. Dist. 28. Q. 2. Art. 2.

§. CI. Contra sententiam hanc, Patrum licet auctoritate firmatam, quædam objici posse video, quæ nisi dissolvantur, fucum facere harum rerum imperitis facile possent. Itaque diceret fortasse aliquis *Tournelyanæ* sententiæ præjudicio præoccupatus: si ita res est, si nempe *physicam* non peccandi potentiam, si naturales legem Dei servandi, & tentationes vincendi vires humanæ infirmitati attribueret tuto liceat; si denique præcipuum gratiæ munus in eo potissimum repositum sit, ut difficultatem viribus naturalibus adhærentem tollat; ergo Pelagiana hæresis jam non erit, nisi evanida umbra, purumque commentum: certum quippe est Pelagium, naturales humanæ naturæ vires ita extulisse, has ut peccato vitando, divinisque Decalogi præceptis adimplendis, nec non vincendis quibuslibet tentationibus physice pares, omninoque proportionatas esse contenderet; quin tamen ad hæc omnia *facilius* præstanda gratiam quoque internæ *inspirationis*, quam in ultimo hæresis suæ statu, ut videtur, confiteri coactus est, omnia difficultatis obstacula auferentem recusaret. Hanc esse genuinam Pelagiani dogmatis indolem patet ex propria Pelagii confessione a), quam refert, & explicat S. Augustinus b), & cum eo Milevitani Patres c). Inde vero alter-

- a) Pelagii hæc verba sunt ex ejus Libris de libero arbitrio ab Augustino relata: *gratia Dei hominibus datur, ut quod per liberum facere jubentur arbitrium, FACILIUS possint implere per gratiam.* b) Hanc Pelagii sententiam explicat S. D. Lib. de Hæres. Cap. 88. inquit: *dicendo utique, ut FACILIUS possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina.* Et in Epist. 186. olim 106. *Utique quum dicit FACILIUS, quid vult intelligi, nisi & gratia, si desit, posse per liberum arbitrium vel facile, vel difficile, quæ divinitus jubentur, impleri.* c) In Epist. ad Innocent. Pp. Synodi nomine, cui etiam S. Augustinus interfuit, scripta,



alterutrum sequatur, oportet, aut Pelagianam hæresim purum esse, purumque figmentum, Patresque illud impugnantibus cum umbris decertasse; aut quam heic obtrudimus sententiam verum, ac realem esse Pelagianismum, larvatum quidem, sed vel propterea tanto magis periculosum.

§. CII. Verum ita quidem argutari posset, qui aut in Pelagianæ hæresis historia plane hospes sit, aut, quid distent æra lupinis? prorsus ignoret. At norunt eruditi Pelagianæ aberrationis caput præcipuum istud fuisse: hominem per vires naturales omnia vitare peccata, totam legem Dei adimplere, omnesque tentationes vincere posse potentia *physica* cum *moralis* conjuncta, quæ ad actum reducatur licet subinde non sine aliqua difficultate, ac proinde gratiam non dari ad tollendam *moralem*, quam Pelagius non agnoscebat, *impossibilitatem*, sed dari solum ad ea, quæ diximus *facilius* præstanda, hocque pacto contendebat ille gratiam quidem homini utilem esse, sed minime necessariam, & vel ideo hominem solis naturæ viribus non tantum posse, sed & actu legem Dei implere, peccata devitare, tentationes vincere, atque eo titulo vitam æternam promereri. Unde *Faustus Rezensis* a) Pelagii doctrinam ad hoc universalissimum caput revocat, *quod ad obtinendam salutem natura hominis sibi sola sufficiat.*

En!

Scripta, quæ inter Augustinianas est 92. *Illud*, inquit, *ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum Pelagiani dicunt, tanquam divinum adjutorium poscere debeamus; sed hoc* (puta non decidere in peccatum) *in nostra esse possumus potestate, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis.*

a) Lib. I. de gratia Dei Cap. I.

En! verus, ac realis Pelagianismus, a quo distat illa nostra Tournelyanae opposita sententia, uti a tenebris splendor meridiani solis, & ab heterodoxae erroris caligine lumen orthodoxae veritatis. Enim vero nullam plane catholico dogmati vim intuleris, si dicas hominem ea omnia, quae supra memoravimus, praestare posse *potentia* duntaxat *physica*, & propter *conjunctam moralem impotentiam* nunquam in actum redigenda, nisi medicinalis gratia Christi humanae infirmitati succurrat. Quare ex hac sententia minime consequens est, gratiam tantum dari ad ea, de quibus agitur, facilius *praestanda*; tum quia sine ejus adjutorio nulla legis obedientia, nulla tentationum victoria prodesse potest ad salutem; tum quia homo sibi soli relictus nunquam suis viribus ad totius legis observantiam pertinet, quam teste S. Augustino *nemo implet viribus suis, nisi adjutus gratia Dei*, (§. XLI) quemadmodum sine hac nemo gravem ullam tentationem superabit, sed ab ea infallibiliter deicietur: quia, ut ait Innocentius I. 2): *neesse est, intellige moraliter, ut, quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante vincamur.*

§. CIII. Quod vero victoriam tentationum saltem in hypothese, quod *graves* sint, singillatim adinet; haec sine auxilio gratiae *moralis potentia* vinci non posse victoria ex solo naturalis honestatis motivo profecta; constans adeo semper fuit Ecclesiae dogma, ut de hujus veritate nefas sit Viro catholico vel minimum ad dubitare. Hanc autem doctrinam Majores nostri passim ex oratione Dominica colligunt, qua jubemur a Deo postulare auxilium contra tentationes: *ne nos inducas in tentationem.* In quem locum S. Augustinus scribens

a) Epistola ad Africae Episcopos, quae existat inter Augustinianas 181. alias 91.



bens a) ait : *si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed a se ipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet.* - - - *Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere, quod orat, a Domino, si hoc a seipso sumere existimet, non ab illo?* Et rursus alludens ad Pelagii articulum in Synodo Diospolitana damnatum, quo asseriebatur : *Victoria (tentationum) non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio : Unde sit consequens, inquit, ut quisquis sequitur illius Episcopalis auctoritatem judicii - - - fateatur, quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus ; quanvis illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei provenire nostram victoriam* b) Hanc Synodi Diospolitane definitionem probavit Carthaginensis II. anni sequentis in Synodica ad Innocentium I. asserens : *ex Sacrilegis Pelagianorum disputationibus necessario sequi, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod qui asserat, ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse* S. Augustinus non dubitat c). Eandem Concilii Diospolitani sententiam confirmavit Synodus Milevitana scribens ad Innocentium d), & ipse Innocentius ad Concilium Carthaginense : *Zozimus ad universos orbis Episcopos : Cælestinus ad Galliarum Episcopos referribentes harum Synodorum judicia auctoritatis suæ robore firmaverunt.* Supersedeo referendis SS. Patrum locupletissimis hanc in rem testimoniis ab *Estio* e), & *Bellarmino* f) copiose allegatis, quorum auctoritatem secuta S. Synodus Tridentina g) *formidare, inquit, omnes debent - - - de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia.* Pugna porro, quam

- a) Lib. de dono persever. C. 23. b) Epist. 186. alias 106.
 c) Lib. de perfectione Justitiæ Cap. ultimo d) Exstat hujus Epistola inter Augustinianas nunc 276. alias 92.
 e) In Lib. 2. Dist. 26. §. 41. f) Lib. 5. de gratia, & lib. arbitr. Cap. 7. g) Sess. 6. Cap. 13.

quam ciet caro, mundus, & dæmon, ex earum utique tentationum genere est, quæ graviores sunt; quas proinde solas istic completi Synodum voluisse manifestum est.

§ CIV. Doctrinam hanc a SS. Patribus hausisse sacram S. nodum eorum testimonia ab *Estio*, & *Bellarmino* prolata confiteranti patebit. Imprimis enim Patrum aliqui expresse loquuntur de pugna *cum carne*, uti S. Chrysostomus Hom. de Adam, & Eva, ubi ait; *dicē hominem tradi desideriis suis: quia desertus a Deo cedit cupiditatibus, atque consentiit*: Similiter de concupiscentiis illicitis loquitur S. Augustinus loco supra citato *b*). Innocentius *de vincendis terrenæ labis, & mundani corporis erroribus*. Coelestinus *de carnis concupiscentiis*. Deinde de pugna *cum mundo* S. Leo ad Episcopum Narbon. Epist. 9. loqui videtur cum asserit: *Fortitudinem nostram esse Christum, si vehementior tribulatio incubuerit*. S. Prosper, qui S. Leoni aliquamdiu ab Epistolis fuit, *a Deo adjuvari* asserit, *quisquis in tribulatione non deficit*. S. Gregorius M. in Psal. 3. pœnitentialem: *constantie in tribulatione* meminit. *Tribulationis* autem nomine merito intelligitur tentatio, quæ a mundo provenit, eaque *gravis*; uti sunt calamitates publicæ, persecutiones, ac pressuræ: neque enim levis aliqua tentatio tribulationem inferre recte censei potest. Denique de pugna *cum Diabolo* loquuntur Innocentius: *gratia privatus, necesse est, Diaboli laqueis irretitus occumbat*. Coelestinus: *nemo, inquit, idoneus est ad superandas Diaboli insidias*. S. Augustinus redarguit Pelagium asserentem: *viribus arbitri posse resisti spiritui nequam*. S. Prosper contra Collator, & S. Gregorius M. in Ezechielem *tentationum diaboli, & malignorum spirituum* meminerunt. Quemadmodum igitur hæc loquendi ratione laudati Patres: de *gravibus* tentationibus inque, ut expendenti patebit, etiam *singillatim* sumptis loqui se aperte indicant; ita tacite simul innue-



re videntur se non omnes *leves* tentationes sub tradita regula velle complecti: quarum proinde *aliquas* etiam *moralis* potentia vinci sine gratia posse, sumere tuto licet. Enim vero, per postulatum infra probandum, potest homo nativis viribus *moralis* potentia facere aliquod opus ex officio, & sine proximo *moraliter* bonum, si non occurrat nisi *levis* difficultas, quum vero *levis* tentatio non nisi *levem* difficultatem in prosecutione boni, & fuga mali inferre valeat: sequitur profecto *levem aliquam* tentationem potentia *moralis* posse naturaliter superari. *)

§. CV.

*) Conclusionem hanc non ad omnes, sed ad *aliquam levem tentationem* restrinximus, ut innueremus, earum omnes, vel multas, si *collective* sumantur, aut etiam *aliquas*, si *longiori* tempore durent, ex numero, & *diuturnitate* graves evadere ob *inconstantiam* voluntatis humanæ, & *facultatis intellectivæ*, ac *adpetitivæ infirmitatem*. Patienter audis v. g. verbum aliquod minus gratum, quod tamen sæpius, ac diutius repetitum intolerabile experiris. Deinde tentatio, quæ respectu unius *levis* est, gravis esse potest comparate ad alium habitam ratione temperamenti, educationis, aut actualis, quæ non eadem semper est, animi dispositionis, aliarumque circumstantiarum, quibus fit, ut quod heri, aut alias facile toleravimus, ob mentis instabilitatem, & affectionum vicissitudinem hodie minime tolerandum putemus. At conclusio nostra procedit de aliqua tentatione secundum se spectata, & in hypothesis, quod *levis* sit.

Quoniam vero nec numerus, nec duratio, quibus tentatio secundum se, & ex objecto *levis*, reapse gravis evadat, nec propria cujusque indoles, nec præsens, quum aliqua tentatio absolute *levis* ingruit, animi dispositionis omnibus satis, ac semper explorata sunt; mirum proinde videri non debet, quod *Dominicæ orationis* argumento, sive liberationem a qualibet tentatione, sive munimen contra omnes, nulla facta exceptione *levium*, a Deo postulare nos oportere, Patrum Conciliorumque decretis admonemur.

§. CV. Neque morari quemquam debet, quod cit. Patres victoriam omnium generatim tentationum subinde Deo in acceptis referant, nulla facta exceptione levium, ut cum S. Augustinus ait: *gratia tua deputo, quaecunque non feci mala a)*: & S. Gregorius in laudatum Psalmum: *neccessario sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicumque a Deo fuerit derelictus*: sed luculentius ceteris S. Chrysostomus: *ubi sunt tentationes, quas sufferre non possumus? & quanam illæ? omnes, ut ita dicam b)*. Adeoque etiam leves, quas ibidem *humanas, & mediocres* vocat, istic comprehendit, de quibus continenter ait: *neque illas - - - propria virtute sufferemus. Sed hic quoque divino egemus auxilio, ut eas vel effugiamus; vel certe perferamus.*

Nihil enim vero momenti ista continent, sed longe aliud, quam nonnulli velint, omninoque diversum spectare quisque facile intelliget; si, quam iidem Patres ad inveniendum rectum hujusmodi dictorum sensum clavem offerunt, præ manibus habeat. Duplex namque illi auxiliorum genus distinguunt; unum *externum* seu *protectionis*, alterum *internum* seu *illustrationis*, ac *inspirationis*. Illud circa objecta, occasiones, ac incitamenta gravium tentationum removenda occupatur, atque, ut ea *effugiamus*, facit; istud, ut gravem tentationem *perferamus*, eique ingruenti minime succumbamus, tuitionem præstat. Utrumque horum complecti S. Chrysostomus, posteriora ejus verba consideranti patebit; sed multo apertius de utroque S. Augustinus disserit, cum Deum ita loquentem inducit: *Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non commiteres, suasor defuit, ut suasor deesset, ego feci.* *Locus & tempus defuit,*

I

⊕

a) Lib. 2. Confess. Cap. 7. b) Homil. 24. in 1. ad Corinth.



Et, ut hac deessent, ego feci, nempe exterius protegendo. Adfuit suavor, non defuit tempus, non defuit locus, ut non consentires, ego terrui, scilicet interius movendo. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes, etiam quod non admisisti a). Merito igitur S. Doctor gratia deputandum censuit, quæcunque mala non fecit: quia quod nulla, aut levi tentatione ad malum sollicitatus fuerit, ab externo gratiæ protectionis munere venit; quod autem gravi tentatione pulsatus non succubuerit, interioris gratiæ effectus fuit. Et quemadmodum porro, qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur b); ita e diverso, utroque destitutus auxilio recte censetur a Deo derelictus, nec proinde mirum si S. Gregorius dixerit: necessario consequi, ut ita derelictus omni tentationi sit subditus: siquidem in homine taliter derelicto nullum Deus facit cum tentatione proventum; sinit imo, ut tentatio, quæ respectu hominis sub adjutorio & protectione Dei commorantis levis fuisset, in homine derelicto ex duratione, numero, præoccupatione, aliisque, quæ memoravimus, minus propitiis rerum adjunctis plerumque gravis evadat, quo fit, ut, quemadmodum idem S. Doctor ait: homo sibi dimissus, cujuslibet tentationis aura jactetur c). Denique S. Chrysostomus loquens de tentationibus humanis, quas mediocres vocat, quasque ab iis, quæ ex natura sua virtutem nostram moralem superant, adæquate distinguit, nuspian adferit non posse harum aliquam propria virtute sufferri, sed indefinite loquitur de omnibus vel pluribus collective sumptis, quas ob hæreditariam humani cordis infirmitatem, voluntatisque inconstantiam, non secus ac singularum plerasque ob sæpissime concurrentes, uti proxime diximus, circumstantias, nisi Deus specialiter protegat, in praxi graves effici, ut

a) Serm. 99. alias Homil. 23. inter 30. Cap. 6. b) Psal. 90. v. 1. c) Lib. 9. moral Cap. 53.



ut plurimum contingit. Nihil proinde mirum, si S. D. communem loquendi modum secutus sit, quo propositione universalis frequentius utimur ad significandum id, quod ut plurimum, ac fere semper accidit, id quod idem S. Pater satis ipse indicat [diminutivis hisce particulis: *Omnes, ut ita dicam*, quæ idem sonant, quod prope omnes. Quare etiam non immerito dixerat in his quoque *divino nos egere auxilio*, nempe vel auxilio externæ protectionis, quo eas, ne graves evadant, *effugiamus*; vel auxilio internæ motionis, quo eas, cum graves evaserint, *perferamus*.

§. CVI. Longius vero a genuino Patrum Conciliorumque sensu aberraret, qui memorata (§. CIII. — CIV.) testimonia, quibus contra Pelagianos tentationum victoria Dei adjutorio attribuitur, de sola victoria, quæ *vite æternæ meritoria* sit, interpretanda esse contenderet, prout nonnullos id fecisse compertum est, ut inde quaslibet tentationes etiam graves *naturaliter* vinci posse concluderent, victoria nempe, quæ ad peccatum, ad quod tentatio impellit, ex solo naturalis honestatis motivo devitandum per se sufficiat.

Quam sit autem hæc interpretandi ratio a mente Patrum aliena, assequi haud erit difficile, eadem eorum testimonia expendenti. Non enim solum Patres, & Concilia *generatim* contra Pelagium asserunt; *ex Dei adjutorio provenire nostram victoriam, aut victores nos esse non posse, nisi cum Dei gratia* (§. CIII.); sed simul etiam perspicue docent auxilio nos indigere divino, ne tentationibus quis *cedat, ne in illis deficiat — occumbat*, utque eas vel *effugiat, vel perferat* (§. CIV.): quia, ut Augustinus ait: *si non ipse (Deus) nos adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus* a). Vides nullam istic

a) Serm. 156. de verb. Apost. Cap. 9.



fieri mentionem alicujus *meriti*, sed *divini* duntaxat, cui tentationum simplex victoria in acceptis refertur, *auxilii*. Atqui vero, quod quidpiam cum Dei adjutorio fiat, haud sequitur, illud continuo *meritorie* fieri: neque enim, si ex supernaturali gehennæ metu, judiciorumque Dei timore, tentationem peccator aliquando vicerit, quamvis non sine adjutorio Dei vincat a), vitam æternam propterea meruisse censendus est: siquidem teste S. Augustino: *nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat* b). Quid? quod laudati PP. & concilia, quum ad vincendas tentationes auxilium Dei constanter exigunt, *de amore Dei, & dilectione charitatis* prorsus sileant, quam tamen alibi quoties de vitæ æternæ merito ipsis sermo est, præter statum gratiæ, ceu necessariam meriti conditionem ab iisdem requiri jam alias affatim demonstravimus c). Hinc S. Augustinus de vincendis peccatis verba faciens: *neque id fieri, ait, veraciter ac sinceriter* (quod ex phrasi S. Doctoris idem est, ac *meritorie*) *nisi vera dilectione justitiæ*. - - - Tunc itaque *vicia victa* (intellige conformiter ad proxime dicta, *veraciter* seu *meritorie*) *deputanda sunt, cum amore Dei vincuntur* d). Dantur quidem, ut S. D. alibi observat, *& alia per Spiritum sanctum munera*, puta fidei, spei, timoris, sed sine *charitate, seu dilectione* (nam unius rei est utrumque nomen) *nihil prosunt*, nempe ad vitam æternam, de qua ibidem loquitur, promerendam e). Quoniam igitur ex dictis liquet, Pelagianos hoc etiam nomine, quod *ad vincenda peccata*, (§. XL n. 3.) seu *ne tentati in peccatum decidamus* (§. CII. lit. c.) humanam naturam, solamque hominis voluntatem *sufficere* docuissent,

a) Illum timorem vocat Trident. Sess. 14. C. 4. *donum Dei, & Spiritus sancti impulsus*. b) In Psal. 7. c) Tract. de officio hominis erga Deum Part. III. §. 47. d) Lib. 21. de Civit. Cap. 16. e) Lib. 15. de Trinit. Cap. 15. num. 32. Vide, quæ hanc in rem cit. Tractatu nostro Part. II. §. 35. jam notavimus.

sens, frequentius exagitatos fuisse, atque damnatos: sponte sequitur, Patres, & synodos hoc ipsam Pelagii dogma impugnantes, adjutorium Dei, non solum ad victoriam *meritoriam*, sed ad eam quoque, quæ *simpliciter* ad peccatum evitandum sufficiat, omnino necessarium propugnasse.

§. CVII. Nec quidquam demum obstant, quæ ex adverso proferuntur, quorundam Romanorum, aliorumque gentilium, nec non hæreticorum exempla, quos ad mortis nonnunquam acerbissimæ præsentiam non solum animo non concidisse, sed eam profus æquanimiter, imo etiam alacriter sustinuisse compertum est. Ita de *Curio*, & *Socrate* profani scriptores referunt, illum quidem tranquilla plane mente se in foveam præcipientem dedisse; hunc vero serena fronte oblatam hausisse cicutam. De *Hulso* autem, & *Hieronymo* ejusdem pertinaciæ, ac pœnæ socio testis est *Aeneas Sylvius* a) ambos inter crepitantes ardentis rogi flammæ præbuisse heroici spiritus, atque constantiæ specimina, quanta in simili casu Philosophorum vix ullus hucusque. Quum igitur præsentissimæ mortis timor tentatio sit omnium certe gravissima, hancque homines isti fide, & gratia destituti forti animo reipsa superaverint; non immerito quis eum *Augustino* requirat: cur, si idonea sit iniquorum voluntas, ut Deo non adjuvante - - - inter atrocissima, & longa tormenta in mendacio perseverent? - - - cur, inquam, æque non idonea sit justorum voluntas, nisi eis vires desuper suggerantur, quaslibet pœnas, vel ipsius decore justitiæ, vel æternæ vitæ amore perferre? b).

a) De Bohemorum gestis &c. ad *Alfonsum* Regem Arag. Cap. 36. b) *Lib. de Patientia* Cap. 16.



§. CVIII. Verum, qui *hæc dicunt*, continenter respondet S. Doctor, non intelligunt, & quemque impiorum tanto esse ad quæcunque mala perferenda duriores, quanto in eo est major mundi cupiditas, & quemque justorum tanto esse ad quæcunque mala perferenda fortiores, quanto in eo est major Dei charitas. Nempe, ut alibi idem S. Pater ait: Fortitudinem gentilium mundana cupiditas; fortitudinem Christianorum Dei charitas facit a). Quotquot igitur gentilium, æque ac heterodoxorum hominum hujusmodi profanæ fortitudinis exemplis inclaruisse laudantur, ad mentem ejusdem S. Præfatis pro certo tenendum, eos ad mortem fortiter sustinendam non honestatis naturalis decore illectos fuisse, sed solo vanæ gloriæ, superbiæ, cupiditatis, alteriusve passionis motivo concitados, ipso etiam dæmone impigram ad hoc operam strenue locante, ad cujus voluntatem, eos potissimum, qui veritati resistunt, captivos teneri, gentium Apostolus ipse testatur b),
*)

Cut

a) Lib. I. Oper. imperf. contra Julian. Cap. 83. b) 2. Tim. 2. v. 25. & 26

*) Observandum istic est, voluntatem hominis viatoris nec a Dæmone, nec ab hominibus physice moveri, ac determinari posse; quippe, quæ, ut heic supponitur, proposito quocunque bono, aut malo semper libera, sui que determinans est. Porro dæmon, & homines ea solum ratione trahunt ad malum, quod illud suadendo proponant: non diabolus cogendo, sed suadendo nocet, nec exorquet a nobis consensum, sed petit, inquit Auctor Homil. 12. inter 50. nunc Serm. 253, in Appendice Operum S. Augustini.

Advertendum tamen monet laudatus Habertus multo efficaciorum esse dæmonis, quam hominum ad malum suasionem; Hi enim cum directe non agunt nisi in sensus exteriores; sæpe voluptatem movere nequeunt, appetitu sensitivo in aliud objectum propendente, & sensum interiorio-

Cur autem homo in præfenti corruptionis ftatu non æque honeftatis, ac cupiditatis motivo mortem optetere poffit, rationem egregie pro more fuo *Habertus* hanc reddit: nimirum ubi læditur nominis fama, vel fpes rei familiaris amplificandæ affulget, commovetur appetitus, ardent paffiones, folus timor amittendi, quod male concupifcitur, mentem exagitat, & imminens mortis periculum vix advertitur. Contra vero fi agatur de tuenda veritate, & iuftitia cum capitis difcrimine, fensus & paffiones vehementer obftant, mentem perturbant, & quodam modo ligatam tenent; horror mortis totum hominem invadit, jam non lucet decor iuftitiæ, nec afficit gehennæ metus, nec ulla fubeft cura, nifi evadendi mortis periculum: At fuperveniente gratia uberior illuftratio mentem veritati, qua nihil eft fortius, affixam tenet, & major delectatio iuftitiæ voluntatem infallibiliter determinat, non absolute quidem, fed *moraliter*: liberum quippe arbitrium, five fub gratia efficaci, five fub cupiditate conftitutum phyfice, & absolute diffentire, aut confentire poffe jam fupra (§. LXXXIV — §. LXXXV. & feq.) demonftravimus; quamvis nunquam diffentire contingat propter *moralem* diffentiendi *impotentiam*, & *moralem*, quæ tum adelt con-

teriozem præoccupante; quo fit, ut mens non adtendat ad ea, quæ dicunt, vel faciunt, five minentur, five blandiantur. Dæmon vero fensus interiores, & appetitum fentitivum directe afficit, Deo ita permittente, phantafiæ fpecies, quæ funt cogitationum femina, commovet, ficque objecta, velut præfentiffima in imaginatione recurrunt, fpiritus quoque animales, aliosque humores exagitando, appetitum fentitivum ad libidinem, iram, furorem, & alios inordinatos motus accendit. Sed voluntati neceffitatem non infert, prout auctoritate SS. *Cyrilli*, *Auguftini*, & *Aquinatis* fupra (§. C.) confirmavimus.



fentiendi *necessitatem* ex gravi difficultate in oppositum nitendi oriundam.

§. CIX. Inde demum patet genuinus phrasidis Innocentianæ sensus: *neesse est, ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante vincamur.* (§. CII.) Quam nemo unus est, qui de *necessitate morali*, seu ut vocare eam aliis Theologis placet, *infallibilitatis* necessitate intelligendam esse non existimet; hanc vero libertati voluntatis humanæ nihil officere ex dictis (Cap. VIII.) affatim liquet.

Supereft ergo unum adhuc opportune hic loci explanandum, qua nimirum ratione contingat, quod quælibet tentatio gravis *moralem* male agendi *necessitatem* inducat? Istud vero quemque haud difficulter assequuturum putem, si modo, quam supra (Cap. V.) copiose descripsimus, miserrimam naturæ corruptæ sortem præ oculis habeat. Mox enim prima, ac præcipua omnis mali labes occurret *ignorantia*, & *concupiscentia*, quarum illa intellectum remoratur, quo minus rectum de rebus agendis iudicium ferat; hæc vero voluntatem adeo sibi devincit, ut terrenas illecebras potissimum consectetur. Ad malorum cumulum accedit, jam a natura ita comparatum esse, ut objecta sensibilia, utpote magis *præsentia*, sensus, & appetitum inferiorem, magis moveant, & afficiant, quam spiritualia, quippe a sensibus remotiora, rationem. Unde fit, ut quæ præsentis sunt, & a sensibus hauriuntur oblectationes, multo ardentius animum exstimulent, quam quæ vel expectantur, vel in abstractis ideis considerantur, aut aliorum testimonio creduntur secundum illud *Horatianum* experientia ipsa comprobatum:

*Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis spectata fidelibus* — —

Quid

Quid igitur mirum, si homo suis relictus viribus tam propter ignorantiam, qua excoecatur, quam propter sensibilem objectorum præsentiam, veras, & apparentes boni rationes, quas in rebus terrenis appetit, vividius, clariusque percipiat; propter concupiscentiam vero, aliosque pravos habitus, quæ voluntas immani ad malum proclivitate raptatur, iisdem rebus, quam maxime delectetur? Ita nempe *fascinatio nugacitatis*, ut ait Sapiens, *obscurat bona*, seu cupiditas rerum terrenarum, quæ ab eodem sapiente dicuntur *vanitas vanitatum*, & a S. Augustino *nugæ nugarum* mentem adeo fascinat, ut peccati fœditatem; virtutis vero pulchritudinem, atque præstantiam, aut non videat, aut parvi pendat. Sensus quoque, & appetitus objectis sensibilibus deliniti rationem tam violenter attrahunt, ut mens ad legem Dei vix attendat, vixque aliud appetendum, aut fugiendum repræsentet, quam quod passiones suggerunt, juxta tritum illud: *unusquisque judicat prout affectus est*. Quapropter in concursu, ac collisione bonorum superiorum cum inferioribus, cœlestium cum terrenis, spiritualium cum carnalibus homo semper iis posthabitis, hæc sibi seligit, & amplexatur: non quod ratio malitiam objecti nullatenus advertat; sed quod alio abstracta, & boni adparentis vividiore intuitu præoccupata, atque per ardentem concupiscentiam quodam modo absorpta, judicio, ut ajunt, practico infallibiliter decernat (nisi Deus periclitantem adjuvet) satius esse hic & nunc tentationi cedere, & quas suggerit, cupiditatibus, passionibusque indulgere.

§. CX. Neque postremo prætermittendum, quod S. Augustinus recte observat: *Nonnunquam sane accidere, ut apertissima vitia aliis vitiis vincantur occultis, quæ putantur esse virtutes a)*. Fit enim vero, quod si quandoque

a) Lib. 21. de Civit. Cap. 26.



doque ex uno, ad quod tentatio impellit, vitio emergere quis viribus suis nitatur, id non prætet nisi in aliud vitium incurrendo. Luxoriosus v. g. temperat sibi voluptatibus, ne propriæ gloriæ jacturam subeat: abstinet ab ingluvie avarus, ut sumptibus, nummisque parcat: fastum calcavit *Diogenes*, sed, ut bene respondit *Plato*, alio affectatæ singularitatis fastu. Optime proin modulando concludit *Prosper* a);

— — — — — manet ergo voluntas
Semper amans aliquid, quo se ferat, & Labyrintho
Fallitur ambages dubiarum ingressa viarum — —
— — — — — omnimodaque
Mobilitate ruens in vulnera vulnere surgit.

Quemadmodum igitur ex proxime dictis patet, gravi tentationi necessitate morali nos ideo succumbere, aut vitium unum alio superare, quod in tentationis objecto, aut vitio alteri opposito majorem adparentis boni speciem vivacius perspiciamus, eaque vehementius delectemur: ita ex adverso juxta S. Augustinum, ideo volumus facere quod justum est, quia latet, an justum sit, sive quia non delectat. Tanto autem quidque vehementius volumus, quanto certius, quod bonum est, novimus, eoque delectamur ardentius b). Semper ergo, quod justum est faceremus, si nihil eorum, quæ ad justitiam pertinent, lateret, & ea sic delectarent animam, ut quidquid aliud voluptatis, dolorisque impedit, delectatio illa superaret c). Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates d), facitque

a) Carmine de ingratis. v. 188. b) Lib. 2. de peccat. merit. Cap. 17. c) Lib. de Spirit. & lit. Cap. 35. d) L. cit. de peccat. merit.



citque plus delectare, quod precipit, quam delectet, quod impedit a). *)

§. CXI.

a) L. de Spir. & lit. Cap. 29.

*) *Neque dicas: Deum in gratiarum suarum thesauris paratas habere rationes alias plures, a delectatione, de qua sermo est, omnino diversas, quæ hominum voluntates in officio contineat, ne tentati succumbant. Negari profecto nequit, peccatores subinde jam in peccandi prociectu fere constitutos supernaturali gehennæ metu, qui ex mente Tridentini *Donum Dei est, & impulsus Spiritus sancti* (§. CVI.) ita nonnunquam vehementer perecelli, ut pedem a malo retrahant, ac tentationum lenociniis fortiter obluendo victores ex arena redeant, atque adeo timore mali non boni delectatione vincant.*

Verum qui prima Psychologiæ rudimenta vel extimis labris attigerunt, probe norunt, non sine alicujus conjuncti boni amore ac delectatione contingere, quidquid metu mali fit, aut omittitur. Ita qui timore pœnarum acquiescit minitanti, & vim inferenti, vult liberari a malo, quod timet, & vitam servare incolumem, quæ voluntatem ejus magis afficit, atque delectat, quam ea, quæ dimittere cogitur. Sic Petrus, metu mortis suum negando Magistram, plus amavit vitæ incolumitatem, quam veritatem. Pilatus metuens indignationem Cæsaris maluit damnare Christum: quia magis delectabatur gratia Cæsaris, quam administratione justitiæ per absolutionem infantis. Sic & qui in desperationis laqueum currendo violentas sibi manus injiciunt, boni suavitate vincuntur; carere enim malis bonum est, quod dulcius ipsis videtur, quam tristem ducere vitam, nullius solatii capacem.

Pari ergo ratione, qui supernaturali gehennæ metu periculis tentationi resistit, id facit: quia hic & nunc magis eum afficit, atque delectat status a periculo habitandi eum ardoribus sempiternis immunis, quam, cui renunciare cogitur, blandiens peccati illecebra, aut delectatio momentaneæ voluptatis. Gehennæ itaque metus ad plenam tentationum victoriam se solo efficax non esset, nisi simul bonitas, seu felicitas tanto malo carendi vivacius percepta voluntatem sic delectaret, ut quidquid aliud voluptatis impedit, delectatio illa superaret; quod utique, ut Augustinus ait; *gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.*



§. CXI. Hæc ergo est victrix illa gratia, cujus necessitatem ad superandas graves tentationes Patres, & Concilia adversus Pelagianos urgent, constanterque propugnant. Quamvis autem hanc ceu gratuitum Dei donum condigne mereri neminem posse apud Theologos expedita res fit; eam tamen posse precario obtineri non minus certum. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*, verba sunt Magistri cœlestis suis discipulis commendata a), quos utpote redempturum se Israel sperantes, ex instantis suæ mortis ignominia, gravissimæ tentationis periculum subituros noverat. Nec alia de causa gravi tentationi Petrus succubuit, quam quod, ut post S. Chryostomum b) S. Augustinus observat c), *de se superbe præsumens*, officium orationis neglexerit: potuit enim, ac debuit occasionem fugere, debuit etiam, ut potuit, orare; potuit ergo *deponere mentis tumorem, & cum Propheta Deo dicere: adjutor meus esto, ne derelinquas me* d). Et sane nihil expressius in S. Scriptura, & SS. Patribus inculcatum legimus, quam Dei auxilium velut continuo & quam frequentissime implorandum, ut acceptis ejus donis recte utamur, ad resistendum tentationibus pares, ac idonei reddamur, & in bonis operibus perseveremus. Huc certe spectat illud Christi: *oportet semper orare, & non deficere* e): *vigilate, omni tempore orantes* f): & illud Apostoli; *sine intermissione orate* g). Unde, cum probe sciret Salvator noster in tantis nos periculis constitutos pro humana non posse fragilitate subsistere, cæteros inter Dominicæ orationis articulos quotidianum adversus tentationum insultus munimen implorandum esse docuit, ut intelligeremus, quod, nisi *magis precibus gratia in nos implorata descendat*; (verba sunt Innocen-

a) Math. 26. b) In Cap. 26. Math. c) Tract. 106. in Joan. d) De unit. Eccl. Cap. 9. e) Luc. 18. v. 1. f) Luc. 21. v. 36. g) 1. Thesal. 5.



Innocentii I. ad PP. Carthaginenses scribentis) nunquam
terrenæ labis, & mundani corporis vincere conabimur er o-
res; cum pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium,
sed Dei solum facere possit auxilium. Nam, ut Cœlestinus
Pp. ad Episcopos Galliæ scribens observat: Nemo etiam
baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas Dia-
boli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per
quotidianum Dei adiutorium perseverantiam bonæ conversa-
tionis acceperit, quam, ut S. Augustinus ait: suppliciter
emereri possumus a), qui & alibi b) S. Cyprianum lau-
dat docentem: omnia, que ad mores pertinent, quibus re-
cte vivimus a Patre nostro, qui in cælis est, esse poscenda, ne
de libero presumentes arbitrio, a gratia divina excidamus.

CA-



a) Lib. de dono perseverant. Cap. 6. b) Epist. 47.



CAPUT XI.

Ex Pelagiani erroris antithesi figitur genuinus presentis controversiæ status, & oppositus orthodoxi dogmatis sensus de naturali hominis impotentia servandi legem Dei naturalem, & peccata vitandi per solas naturæ vires sine medicinali gratia Christi determinatur. Præmissa notitia de divina circa reparationem humani generis œconomia secundum tripartitam temporum statuumque distributionem a S. Augustino compendio traditam, sed ex Apostolo uberius explanatam, perspicue ostenditur, præsentem doctrinæ articulum ex illorum genere esse censendum, qui nobis per immediatam revelationem ex Scripturis innotescunt, atque adeo etiam ante expressam Ecclesiæ determinationem divinæ fidei assensum a nobis exigunt. Vindiciæ S. Pauli adversus blasphemias insanientium quorundam sæculi nostri criticorum censuras, execrandasque Apostolicæ illius doctrinæ cavillationes.

§. CXII. **J**am supra Capite V. abunde demonstratum est, Pelagianos hoc cumprimis nomine a Patribus Africanis identidem exagitatos fuisse, ac impugnatos, quod falso illo principio de virium naturalium ad legis naturalis observationem *sufficientia* præoccupati (§. XCVI.), omnem consequenter legem Dei servandi, & peccata vitandi *impotentiam* excludere ab humana natura voluisse

se convincerentur. Quum vero hanc ipsam Pelagii doctrinam famosa sua thesi (§. XXI.) orbi catholico rursus obtrudere velle videatur Catholicus Jctus: quippe qui Pelagiano illo de virium naturalium sufficientia principio nixus, omnem pariter legem Dei servandi, & peccata vitandi impotentiam ab homine removendam esse contendit (§. XCVII.); ipse jam viderit, qua ratione, aut colore non solum refuscitati Pelagianismi invidiam a se removeat (§. XXX.); sed suam in avitæ doctrinæ tenaces insolentiozem censuram (§. XXXII.) a temeritatis accusatione liberet, tutoque defendat. Omnibus igitur, quæ ad hanc controversiam pertinent, prævie jam discussis, & anticipatis, nihil porro aliud agendum nobis incumbit, quam ut hunc noviter succrescentem Pelagiani erroris surculum adductis, quibus opposita Ecclesie doctrina nititur, argumentis radicitus amputemus.

§. CXIII. Sed ne qua porro dubitatio supersit, quid quoad præsens institutum fidei mente tenendum Ecclesia a nobis exigat? istud quidem non aliunde melius, quam ex ipsa Pelagianæ doctrinæ antithesi eruendum est. Sunt vero circa præsens thema tres cum primis articuli, quos Ecclesiam in Pelagianis semper exhorruisse constat. 1) *Hominem per propriam voluntatem legem Dei naturalem posse complere, & ad mandata Dei facienda, atque implenda, uti & ad vincenda peccata, seu ad non peccandum liberum sufficere voluntatis arbitrium* (§. XL in: 1. & 3. — §. XLI). 2) *Hominem per solum naturæ bonum, id est, ex solis naturæ viribus ad tam sublimem perfectionis gradum eluctari sine vera Christi gratia posse, ut omnia virtutum officia, & quod consequens est, omnia jûris naturalis præcepta actu impleat; imo fuisse de facto etiam gentilium Philosophorum non paucos, qui eadem re ipsa actu impleverint, uti patet ex Epistola Pelagii ad Demetriadem*
Virgi-



Virginem a). 3) Hominem posse in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere: Dimitte nobis debita nostra. Quod Pelagianos docuisse testatur Innocentius I. Epistola ad Patres Milevitanos.

Ex

- a) Hæc Epistola habetur Tomo ultimo Operum S. Hieronymi, fuitque subinde huic S. Doctõri falso a quibusdam adscripta, estque proinde probe distinguenda ab altera ad Demetriadem Epistola, quæ exstat Tomo 1. hæc enim genuinus S. Doctõris partus est: illam vero, quæ incipit: *Si summo ingenio.* S. Augustinus Pelagio tribuit, eamque confutat Lib. de gratia Christi Cap. 22. 27. 37. 38. & 40. ut proinde mirum sit hodieum adhuc, etiam a viris in doctrina S. Augustini apprime versatis, eandem Epistolam sub S. Hieronymi nomine citari, atque in thematis sui argumentum proferri. In hac igitur Epistola Pelagius, circa ea, quæ memoravimus, mentem suam ita expressit: *Quam multos Philosophorum, & audivimus, & legimus, & ipsi vidimus castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, & honores mundi simul & delicias respuentes, & amatores justitiæ non minus quam scientiæ! unde, quæso, hominibus alienis a Deo ista, quæ Deo placent? Unde illis hæc bona, nisi de NATURÆ BONO? & cum ista, quæ dixi, vel OMNIA IN UNO, vel singula in singulis haberi videamus, cum omnium natura una sit, exemplo suo invicem sibi ostendunt, OMNIA IN OMNIBUS ESSE POSSE, quæ vel Omnia in omnibus, vel singula in singulis inveniuntur. Quodsi autem sine Deo homines ostendunt, quales a Deo facti sunt; vide quid Christiani facere possint, quorum in melius per Christum natura, & viâ instructa est, & qui divinæ quoque gratiæ juvantur adjutorio. Ubi per gratiæ adjutorium intellexerit, interprete S. Augustino de gratia Christi Cap. 8. legem, atque doctrinam: vel gratiam inspirationis ad virtutum officia facilius exequenda utilem, sed minime necessariam (§. CII.) Pluribus vero interjectis ita demum prosequitur: Nec illu*

Ex opposita igitur erroneis hisce articulis Ecclesiæ catholicæ doctrina facile jam intelligitur, debitum fidei obsequium id a nobis exigere, ut credamus, ac confiteamur: *in hoc naturæ infirmæ statu, ubi caro concupiscit adversus Spiritum, & legi mentis repugnat, captivatque in lege peccati, naturales naturæ humanæ vires juri naturali servando neutiquam esse ita sufficientes, ut sine medicinalis gratiæ adiutorio legem Dei naturalem, quoad substantiam* *) *servare, & sine peccato quocunque vivere homo possit, potentia nempe morali, seu expedita, & cum actu conjuncta; ita videlicet, ut quam diu hoc fragile corpus gerit, omnia legis præcepta solis naturæ viribus effective impleat, & consequenter ad nullum unquam peccatum declinet.* Nunc vero jam in eo sumus, ut, quæ ad muniendam catholici

K

hujus

illud est parvum argumentum ad comprobandum naturæ bonum, quod illi primi homines per tot annorum spatia absque ulla admonitione legis fuerunt, non utique quod Deo aliquando creaturæ suæ cura non fuerit, sed quia se talem sciebat fecisse hominum naturam, ut eis pro lege ad exercendam justitiam sufficiat.

- *) Bisariam nempe lex impleri potest, scilicet, vel quoad substantiam, vel quoad modum. Si spectata honestate officii, & finis proximi, qui finis operis est, id quod lege cavetur, facias, legem implesti quoad substantiam. Sed si præterea opus legis ex affectu charitatis ad finem ultimum, qui finis operantis est, cum fractu ac merito vitæ æternæ, virtualiter explicite, uti debes, referas; jam legem etiam quoad modum implevisti. Quam distinctionem tradit S. Thomas 1. 2. Quæst. 109. Art. 4. Certum autem est, & a nobis jam alibi demonstratum, legem quoad substantiam impleri posse, quin quoad modum impleatur, atque in hac hypothese peccatum quidem hominem peccato omissionis contra præceptum relationis; non autem peccato, quod ajunt, commissionis contra opus lege præscriptum. Qua de re vide, quæ diximus in Tractatu de officio bonitatis erga Deum. Part. 1. Cap. 4. & Part. 3. Cap. 4. §. XXXIII. &c.



hujus in Tridentina Synodo (§. XXVIII.) pro parte iam definiti dogmatis veritatem abunde suppetunt SS. Scripturarum, divinæque Traditionis argumenta, adversus *novos gratiæ inimicos*, qui, ut Augustinus ait, (§. LXXIV.) *incautis novas semper ponunt tendiculas*, pro ratione semel suscepti muneris, ordine suo proferamus.

§. CXIV. Inprimis ergo si S. Scripturam diligentius attendas, invenies sane præfatum doctrinæ catholice articulum, licet sub alio verborum tenore, satis in ea luculenter expressum. Priusquam vero ad demonstrationem ipsam procedamus, in gratiam Lectoris harum rerum ignari, præmittenda esse duximus, quæ divinæ dispensationis modum attinent, in generis humani reparatione observatum, & a S. Augustino Capite penultimo sui *Enchiridii* compendio expositum, ex quo dispicimus, totum humanæ redemptionis opus non illicet, non de repente fuisse peractum, sed per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensura, & numero, & pondere disposuit. Cum, inquit, in altissimis ignorantie tenebris nulla resistente ratione vivitur secundum carnem; hæc sunt prima hominis. Cum per legem cognitio facta fuerit peccati, si nondum divinitus adjuvet Spiritus, secundum legem volens vivere, vincitur, & sciens peccat, peccatoque subditus servit: a quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est 2. Pet. 2. 19. id agente scientia mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo prævaricationis adjecto, atque ita, quod scriptum est, impleatur: Lex subintravit, ut abundaret delictum Rom. 5. v. 20. Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus, ut ad implenda, quæ mandat, ipse adjuvare credatur, & agi homo cæperit Dei Spiritu; concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis - - - in quantum (homo) non cedit malæ concupiscentiæ vincente delectatione justitiæ. Harum differentiarum prima est ante legem, secunda

da sub lege, tertia sub gratia - - - quæ revelata est per primum Mediatoris adventum. Quæ quidem gratia nec antea defuit, quibus eam oportuit impertiri, quamvis pro temporis dispensatione velata, & occulta. Neque enim antiquorum quicumque justorum præter Christi fidem (intellige vivam, & per dilectionem operantem) salutem potuit invenire. Illa porro tripartita S. Doctoris distributio, uti non vacat mysterio; ita operæ pretium fuerit eam, utpote Apostolicæ doctrinæ profus consonam enucleatius explanare. Quo factò expeditissima demum via patebit ad catholicæ dogmatis, de quo isthuc agitur, veritatem ex SS. Litteris efficacius demonstrandam.

§. CXV. Igitur juxta triplicem illam temporum distributionem triplex quoque humani generis status distinguendus est. *Primus* horum fuit status *legis nature*, qui annis 400. ab Adamo usque ad Moysen perdurabat. In hoc statu sine lege scripta secundum inditam naturæ legem homo vivere eo consilio permissus est, ut per propriam experientiam convinceretur, nullum adeo abnorme, & absurdum esse aberrationis genus, cujus humana ratio sibi relicta capax non sit, si Deus mentis tenebras veritatis lumine, legisque doctrina non illustraverit. Hunc proinde statum merito dixeris statum tenebrarum, quibus potior hominum pars tum obruta jacebat veri Dei aut nescia, aut ejus oblita, aut certe rectam colendi, ac glorificandi Numinis religionem ignorans, nec malitiam, gravitatemque peccati, nec concupiscentiæ corruptionem cognoscens, cujus inordinatos motus sine repugnantia, sine ulla lucta, sponte sequebatur, atque in hoc miserabili statu sine propriæ miseræ agnitione detinebatur.

Hunc statum: Apostolus Act. 17. recte vocat *tempora ignorantie*; tumque de hujus temporis hominibus



ad Ephesios scribens ait: *Eratis aliquando tenebræ a): eratis in illo tempore sine Christo - - - promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo b): conversati in desideriiis carnis, facientes voluntatem carnis, & cogitationum c).* Tum hortatur eos, ut non jam ambulent, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum alienati a vita Dei propter ignorantiam, quæ est in illis propter cœcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitie, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam d), quorum plura summe enormis vitia Capite I. Epistolæ ad Romanos enumerat.

§. CXVI. Alter status erat legis scriptæ, quæ continebat legis naturalis præcepta in lapideis tabulis consignata; durabat vero status iste annis 1600. a Moyse usque ad Christum. Lex itaque scripta ignorantie tenebras dispulit, mentisque humanæ cœcitatem, ceu primam originalis noxæ plagam persanavit, ostendendo peccati malitiam, & prævæ cupiditatis deordinationem, quæ erat altera naturæ corruptæ plaga humanæ voluntati per peccatum inflicta. Sed cum per legem solummodo haberetur cognitio peccati e) sine gratia ad illud evitandum necessaria: idcirco occasione hujus cognitionis magis irritata concupiscentia impotentius dominabatur f). Ex quo enim, teste Augustino, peccante primo homine vitium pro natura inolevit g), natura ita comparati sumus, ut in vetite majori studio incumbamus, juxta illud Poëtæ: *nitimur in vetitem*; imo juxta clarissimum illud Dei testantis oraculum: *sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua h).* Quare tamen si
hujus

a) Cap. 5. v. 8: b) Cap. 2. v. 12. c) Cap. cit. v. 3.
d) Cap. 4. v. 17. & 19. e) Ad Rom. Cap. 3. v. 20.
& Cap. 7. v. 7. f) Cap. 7. v. 8. g) Tract. 44. in
Joan. h) Gen. 8. v. 21.

hujus status homines pugnare contra concupiscentiam inciperent; quippe quam per legem jam damnatam scirent; attamen gratia ad eam *potentia morali* vincendam destituti, eidem ob virium imbecillitatem resistendo impares, succumbebant. Id manifestum est ex S. Pauli Epistola ad Romanos, in qua potissimum probare contendit gratiam omnibus, sive Judæis, sive gentilibus esse necessariam, ut lex impleatur, & peccata vitentur, idque ex eo demonstrat, quod illorum nemo legem impleverit, omnisque peccati proflus immunis vixerit: *Causati enim sumus*, inquit, id est, rationibus ostendimus, *Judæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: quia non est justus quisquam - - - omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum - - - omnes enim peccaverunt* a). Quia nempe nec lex naturalis naturæ indita, qua gentiles, nec lex naturalis scripta, qua Judæi ducebantur sufficiens erat ad peccatum per legis observationem cavendum; quamvis ejus notitia sufficeret ad illud incurrendum. Ergo si per legem, peccatum contra legem, caveri non potuit, nec consequenter caveri potuit per naturam: quia ut *Estius* recte notat b): Lex sine gratia stat ex parte naturæ, & quidquid illa potest, id ipsam natura posse censetur, vel secus.

§. CXVII. Tertius denique status usque ad consummationem seculorum perseveraturus, est status *legis novæ*, quæ est lex *spiritus*, seu *gratiæ*. Postquam enim sub primo statu satis jam comperta omnibus esset humanæ mentis imbecillitas, & ignorantia: postquam etiam sub altero statu haud minus explorata jam omnibus esset concupiscentiæ indomita vis, humanæque voluntatis ad eidem resistendum infirmitas, & impotentia; tunc de-

K 3

mum

a) Rom. Cap. 3. v. 9, 10, 23. b) 2. Dist. 26. §. 40.

mun propria quosque convincente experientia palam omnibus constabat, homini ad faciendum bonum, quod lex imperat, & ad malum, quod prohibet, devitandum, nequaquam sufficere, si mens duntaxat ope legis boni, malique cognitione imbuatur; sed præterea vel maxime desiderari, ut voluntatis infirmitas medicinali Salvatoris gratia sanetur, sicque homo, a concupiscentiæ in lege peccati eum captivantis servitute divini liberatoris auxilio eruatur. *Augetur enim prohibitione concupiscentia, quando deest gratia liberantis*, inquit S. August. Lib. Expositionis quarundam propositionum ex Epist. ad Romanos. Hunc ergo in finem advenit tandem jam a 4000. annis promissus, prædictus, expectatus, ac desideratus humani generis Salvator, ac Liberator, qui hominibus per humilem propriæ imbecillitatis agnitionem rite jam dispositis medicinalem suam gratiam ad impletionem legis, peccatique devitationem adeo necessariam affluenter impertitus est: ita ut homo in hoc tertio statu sub gratia constitutus non solum pravæ cupiditatis corruptionem plene cognoscat, nec solum inordinationibus ejus strenue reluctetur; sed eam quoque Spiritui subjugando efficaciter devincat.

Ad hunc statum respexit Apostolus scribens ad Romanos: *Peccatum, seu concupiscentia, vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia a)*: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus? hoc est; a carne corrupta per concupiscentiam, quæ jugiter conatus suos exerit, ut animæ mortem infligat: gratia Dei per Jesum Christum b)*: *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati, & mortis c)*.

Ubi

a) Cap. 6. v. 14. b) Cap. 7. v. 23. & seq. c) Cap. 8. v. 2.

Ubi de se ipſo in perſona omnium loquens continenter ſubdit: *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato, ſeu aliter juxta græcum $\pi\epsilon\gamma\iota\ \acute{\alpha}\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha\varsigma$ & propter peccatum, intellige expugnandum et abolendum, ut interpretatur Theophylaſtus, damnavit, id eſt per gratiam excluſit, & compeſcuit concupiſcentiam, damnavit peccatum in carne, ut juſtificatione legis impleretur in nobis a).* Profecto heic perſpicue oſtendit Apoſtulus legis obſervationem, quæ eſt ejus juſtificatione, obtineri neſtquam potuiſſe per vires naturæ, quibus lex nitebatur: & ideo miſiſſe Deum filium ſuum, qui damnaret, ſeu excluderet peccatum, vires ejus auferendo, ſeu viam concupiſcentiæ ſupprimendo, & imperiando gratiam, cujus efficacia lex impleretur, ut prædictum erat per Ezechielem Prophetam: *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis - - - & operemini. b).*

Quare idem Apoſtulus, poſtquam loc. cit. monuiſſet legis obſervationem locum habere in iis, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum; mox facta inter carnalia, & ſpiritualia ſapientes oppoſitione, docet eos, qui ea, quæ carnis ſunt, ſapiunt, legem Dei obſervare non poſſe: *Sapientia carnis, inquit v. 6., inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt.* Quæ verba utique quoad ſenſum formaliter æquivalent hiſ: *Qui ea, quæ carnis ſunt, ſapiunt, Deo adverſantur, quia legem Dei non obſervant, nec obſervare poſſunt.*

K 4

Ubi

- a) Ibid. v. 3. & 4. b) Cap. 36. v. 26. ubi ea repetit, quæ jam capite II. v. 19. præmiſerat. Vide, ſi lubet, Doctiſſ. Calmet in citata ſcripturæ loca, omnia, quæ hucusque proſecuti ſumus, egregie, ac diſuſiori oratione confirmantem,



Ubi certe Apostolus aliquam legem Dei servandi impotentiam hominibus carnalia sapientibus, & spiritu gratiæ destitutis inesse fatetur. Sed non utique *physicam, & absolutam*: quippe qui ad finem Cap. I. & initium 2di ejusdem Epistolæ eos, qui *taliam*, quæ ibi percenset, legi naturæ contraria *agunt, morte, Deique judicio dignos* pronunciat; quod cadere profecto nequit in eos, qui *physica* legem Dei servandi impotentia laborant, consequenter & naturali ea, quæ legis sunt, faciendi libertate carent. Evidens ergo est Apostolum loqui de sola legis naturalis, & quidem solum *quoad substantiam* servandæ impotentia *moralis*, quæ cum libertate consistit, uti Cap. VIII. demonstravimus. Nam impossibilitatem illam, seu impotentiam legem servandi, ut proxime vidimus, repetit *ex infirmitate carnis* seu naturæ; at impossibilitas servandi legem naturalem *quoad modum supernaturalem*, utpote ad fructum, & meritum vitæ æternæ proficientem, non nisi ex naturæ ad ea, quæ altioris, seu supernaturalis ordinis sunt, sese exporrigere minime valentis *improportione* repetenda unice fuisset, ob quam improportionem natura etiam sana & integra ad ea, quæ supernaturalis ordinis sunt, pertingere per semet nunquam posset.

§. CXVIII. Sed probe adhuc observandum isthic est, in utroque statu, videlicet *legis naturæ, & scriptæ* plures justos exstitisse, qui reipsa pertinebant ad statum *legis novæ*, nempe omnes illi, qui per fidem Mediatoris, quem expectabant, jam tum participes facti sunt gratiæ medicinalis, concupiscentiæ, peccatique victricis, quæ ante *legem gratiæ* pro omnibus latam, singulisque fidelibus promulgatam, sicut S. Augustinus ait, *occultabatur, sicut frumentum in palea*. Unde & idem S. Doctor affirmare non dubitat, omnes justos, qui sub veteri lege vixerunt, *nondum quidem nomine, sed reipsa fuisse Christianos*.

nos a). Sed quemadmodum in lege veteri plures fue-
re, qui pertinerent ad legem novam, prout observat S.
Thomas b), ut sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui Deo
servierunt *in novitate spiritus, non in vetustate literæ c)*,
incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini,
ut de Zacharia, & Elisabeth testatur S. Lucas d); ita
e contra in lege nova, plures non re, sed nomine dun-
taxat Christiani pertinent ad legem veterem; quippe,
qui non receperint nisi *literam legis novæ, quæ, teste*
Apostolo e), sine spiritu vivificante *occidit*, quatenus
multitudine, ac difficultate præceptorum existit carnali-
bus occasio peccati, & mortis æternæ. Scriptum est
enim de Spiritu sancto, *per quem charitas diffunditur in*
sordibus nostris f): *quem mundus non potest accipere g)*.
Mundi autem nomine, interprete S. Augustino intelli-
guntur *mundi dilectores, carnis, & oculorum concupis-*
centiis servientes h). Porro teste Apostolo; *si quis*
Spiritum Christi non habet, hic non est ejus i), atque adeo
censendus est non re, sed solo nomine Christianus, &
vel ideo *pertinens ad Testamentum vetus*, uti rursus notat
S. Augustinus k).

§. CXIX.

- a) Lib. 3. ad Bonifac. Cap. 3. & Lib. 3. contra duas Epi-
stolas Pelagianorum Cap. 4. Eadem, inquit, *fides est, &*
in illis, qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt antea
Christiani, & in istis, qui non solum sunt, verum etiam
vocantur, & in utriusque eadem gratia per Spiritum
sanctum. b) Q. 107. Art. 1. ad 2. *fuerunt aliqui in*
statu veteris testamenti, habentes charitatem, & gratiam
Spiritus sancti, qui principaliter expectabant promissio-
nes spirituales, & æternas; & secundum hoc pertinebant
ad legem novam. c) Rom. 7. v. 6. d) Luc. 1. v. 6.
e) 2. Corinth. 3. v. 6. f) Rom. 5. v. 5. g) Joan.
14. v. 17. h) Tract. 74. in Joan. i) Rom. 8. v. 9.
k) Lib. 1. contra Donat Cap. 15. *Sicut, inquit in Sa-*
cramento veteris testamenti vivebant quidam spirituales,
ad



§. CXIX. His opportune prælibatis facile jam patet, totam illam Apostolicæ institutionis doctrinam ad tria potissimum capita esse revocandam, quorum hæc est summa. 1) Naturales humanæ naturæ vires, cum sola legis littera sine spiritu vivificante nequaquam esse sufficientes ad omne peccatum per naturalis legis impletionem effective, & reipsa devitandum; quamvis legis notitia sufficiat ad illud incurrendum. (§. CXVI.) 2) Illam vero insufficientiam proficisci non solum ex culpabili legis ignorantia, mentisque cœcitate per peccatum contracta; sed vel maxime ex infirmitate carnis, & concupiscentiæ corruptione, quæ homini sub lege nativis viribus relicto, & sub gratia nondum constituto impotentius dominatur, legi mentis repugnat, captivatque in lege peccati, hocque pacto legis naturalis impletionem, quæ est ejus justificatio, moraliter impossibilem efficit. (§. CXV. — CXVI. — CXVII.) 3) Hanc demum impossibilitatem, seu, *moralement impotentiam* juxta usitatum Pauli phrasim, non aliter tolli, nisi virtute, ac spiritu gratiæ per Christum partæ, quippe quæ sola hominem a lege peccati, seu concupiscentiæ dominatu liberat, peccatum in carne, seu inordinatos ejus motus damnat, id est, compescit, & in officio continet, atque demum actualem legis efficientiam in nobis efficaciter operatur. (§§. cit.).

§. CXX. Tria porro hæc Apostolicæ doctrinæ capita ex eorum genere censenda sunt, quæ ex *immediata* revelatione nobis innotescunt. Quidquid enim in idea cujuslibet vocis in verbo Dei scripto, vel tradito expres-

ad novum scilicet testamentum occulte pertinent; sic & nunc in Sacramento novi testamenti plerique vivunt animales, qui, si proficere volunt ad perficienda, quæ sunt Spiritus Dei, ad vetus testamentum pertinebunt.

se *distincte*, & *explicite*, seu sola terminorum notione considerata; vel etiam quoad nos *implicite*, id est, non vi formæ Syllogisticæ, sed per modum simplicis verborum expositionis contineri intelligitur, *immediate*, revelatum esse censetur. Modicam vero adtentionem adferenti illico sub aspectum, tactumque cadet, totam, quam mox dedimus, apostolicæ doctrinæ paraphrasim iisdem fere verbis, adeoque *explicite*, contineri in proxime allegatis S. Pauli sententiis, præcipuum argumentum complectentibus Evangelii sui, quod se *per revelationem Jesu Christi didicisse* Apostolus ipse testatur a), *) Eam igitur vel-
ut

a) Gal. Cap. I. v: 12.

*) Detestanda igitur insignis Blasphemia Ambianensis cujusdam Professoris, qui in dictatis suis academicis, Episcopo Ambianensi subinde denunciatis, asserere non abhorruit: *Paulum acris, ac vehementis ingenii imperum secutum, legem moris deprimere, quandoque & elevare.* Sed advertere debuisset temerarius censor, hanc, qua Apostolum gravat, desultoriæ levitatis invidiam, in Deum ipsum recidere, cujus Spiritum se habere, & quæ docuit, ex revelatione divina didicisse Paulus ipse profiteretur.

Hac occasione etiam opportune istie castiganda est quorundam sæculi nostri Criticorum effrons S. Pauli scripta traducendi licentia, atque temeritas. Ex his ob suum Religionis odium, & S. Scripturæ contemptum notorius scriptor Anglus *Bolingbrokius* laudat Cardinalem *Bembo*, quod S. Pauli scripta velut splendidas ineptias, (*sur pompeux galimatias*) contempsisset. At si Pauli doctrina oculis insanientium criticorum nihil præter splendidam ineptiarum faraginem referat; qua, quæso, ratione prætenfum hoc ineptiarum specimen in tantam ex crescere auctoritatem potuit, ut toto jam fere 18. sæculorum decursu fideles universi solidissimam inde instructionem, splendidissimam dogmatum lucem Theologi, divitias christianæ eloquentiæ sacri Pæcones, Concilia demum omnium fere synodaliū decisionum & canonum argumenta hauserint, vimque maximam in Pauli Epistolis suspexerint, ad doctrinæ puritatem conservan-
dam



ut *imediate, & explicitè* revelatam respici oportere, minime ambigendum.

Est

dam, nec non ad profigandos omnes errores, & ad incredulos in rectam christianæ Religionis, ac orthodoxæ fidei viam reducendos invincibilem efficaciam; ut propterea *Boulangerus*, Pauli censor alias omnium nequissimus, evidentia veritatis ingenue confiteri adactus sit: Apostoli doctrinam *sublimem* esse atque *mirabilem*, quod ea mediante diffusus fuerit in toto orbe christianismus: quamquam alias occasione stupendæ conversionis in Actis Apostolorum, & Paulinis Epistolis relatæ hunc S. Apostolum vesaniore calumnia, ceu *vesanum enthusiastam*, malitiose convitiari non sit veritus. At singularem profecto esse oportuit enthusiasmum in Viro minarum & cædis actu spirante per tam insignis facti certitudinem, derepente productum, qui toto vitæ cursu persistenter semper sagax, semper sibi constans, semper idem in tanta scriptorum multitudine ac varietate, in tot itineribus, Apostolicis, in tot periculis, in tot persecutionibus; qui virtutes summe austeras, regulas purissimas, doctrinam maximè sublimem, charitatem ardentissimam, beneficentiam demum ubique diffusam producere potuerit. Sane si tanta vis & efficacia Philosophiæ inesset efformandi hujus indolis enthusiastas, jam illa de humani cordis imperio certare cum Religione merito posset, prout scite observat *D. Flexier de Reval, cathechisine Philosophique* pag. 297.

Quod proinde *Bolingbrokius* de Cardinale *Bembo* refert, vel ipso etiam *Petro de Bayle* iudice putida fabula est, in officina Thomæ Langii Scriptoris teutonici, utque meretur, æque obscuri, quam ignoti procusa. Quod vero *Bolingbrokium* porro attinet, nota alioquin est ejus in sacros Scriptores petulantia, qui quum alios historicos antiqui fœderis libros inter *sacras Romanenses fabulas* rejicere non abhorruerit; quid mirum, si illa ei fabula arriserit ad invidiam Paulinis Epistolis constandam? atque præterea teste cit. *Flexiero* ad eas omnes repudiandas satis ei fuerit, quod earum Scriptor *calvus fuisset, & statura pufillus*. Adeo hodie nihil tam sanctum est atque

Est vero præterea istud quoque inter Theologos non minus expeditum: pro *immediate*, licet *quoad nos implicite*, revelato habendum esse omne illud, quod alteri *immediate*, & *explicite* revelato, quoad sensum formaliter æquivalet, seu quod unum, & eundem habet cum *explicite* revelato conceptum, licet diversis vocibus exprimatur. At certe supra a nobis expositum catholici dogmatis articulum (§. CXIII.) *immediate* revelatis Apostolicæ doctrinæ dogmatibus (§. præced.) formaliter quoad sensum æquivalere, seu in eadem notione, diver-

arque sublime, quo insanientium quorundam criticorum infrunita proboſcis non pertingat! sed temerario huic nugatori respondisset S. *Chryſſſtonus* Hom. 30. in Princ. Apost. Etſi Paulus statura puſillus eſſet, *ſed tamen cælum contingit*. Unde & Hom. 4. de laud. Pauli: *Cælum eſt*, inquit *in quo juſtitiæ ſol regnat: pelagus eſt puriſſimum & altiſſimum, infiuitæ ſapientiæ abyſſum continens*: ac propterea in Prolog. in Epistolæ S. Pauli nunquam ſe ad divinorum ejus operum lectionem (quod hebdomadatim ter, quaterve imo pluries facere conſueverat) ſe contuliſſe affirmat, quin præ gaudio & admiratione extra ſe raperetur. Hæc tantus vir ingenii præſtantia juxta ac ſanctitatis fama per orientem celebratiſſimus. Pagina deficeret, ſi alia plura SS Patrum elogia iſtic accumulanda forent, in Pauli Epistolæ copioſe profuſa. Merito proinde Illuſtriſſ. *Boffuet* tantam in illis doctrinæ efficaciâ ſuſpexit, ut diceret: ſe ſola harum auctoritate in Religione chriſtiana retinendum, ſi etiam reliqua omnia Chriſtianiſmi documenta interiiſſent. Unde & *Freretus*, quamvis ſubinde libros ſacros, & omnia fere chriſtianæ Religionis argumenta impugnaret; nihil tamen in Pauli Epistolæ auſus eſt, licet alioquin ad deſtruendam infidelitatem ac irreligionem efficaciſſimas. Quo ſuo ſilentio ſatis oſtendit, ſe in illis nihil, quod juſte carperet, offendiſſe. Ceterum hos & alios *Bolingbrokii* contra Religionem errores copioſe refutarunt plures Angliæ nationis Theologi, quos inter præcipui *John Leland*, *Young*, *Hervey*, *Brown*, *Clayton*, aliique non pauci.



diversis licet vocibus significata convenire, nemini non evidens esse potest, qui verborum potestatem habeat exploratam. Igitur memoratus ille articulus ex illorum genere sine dubio censendus est, quæ nobis per *immediatam revelationem* ex Scripturis innotescunt; adeoque fidei divinæ assensum a nobis exigunt, etiam ante expressam Ecclesiæ determinationem, uti recte a Card. de Lugo a) observatum est.

CA-



- a) Disp. 20. de veritate fidei Sect. 2. *si*, inquit, *constat sufficienter, de revelatione Dei in Scriptura contenta, constat etiam sufficienter de propositione Ecclesiæ; atque adeo non potest excusari dissensus ab hæresi ex defectu solam propositionis, seu applicationis ab Ecclesia faciendæ. — — — Nam Ecclesia clare, & manifeste proponit credendam Scripturam, & omnia & singula in ea contenta. Si ergo manifeste constat, aliquid in Scriptura contineri, æque manifeste constare debet; id ab Ecclesia nobis credendum proponi. Vide plura, quæ de hoc argumento notavimus in Vindiciis Concilii œcumenici VI. Parte 2. §. XXXVIII.*

CAPUT XII.

Ejusdem doctrinae veritas in divinae traditionis auctoritate fundatur. Cujus testes sunt Patres, & concilia a sede Apostolica approbata. Quam confirmat constans Ecclesiae consensus circa doctrinam de morali hominis impotentia, divini quoque auxilii necessitate ad omnes hujus vitae tentationes vincendas, cujus doctrinae necessarium corollarium est articulus, de quo in praesens agitur, a Synodo Trident. ex eodem principio verbis formaliter equivalentibus definitus. Hunc porro Ecclesia ipso quoque facto comprobatur, per publicas preces ab ea ordinatas.

§. CXXI. **A**d comprobendam hanc orthodoxae fidei veritatem in SS. Literis tam perspicue, ut vidimus, fundatam, plurimum porro momenti superaddit *divinae Traditionis* auctoritas, cujus locupletissimi testes sunt Patres, & Concilia adversus Pelagium coacta, & per Romanos Pontifices adprobata, praecipue vero S. Augustinus Pelagianae haereseos impugnator, & catholicae de gratia doctrinae per 20. annos vindex praeter ceteris strenuissimus. Constat enim vero inter Theologos omnes, consensum SS. Patrum in aliquo dogmate, tum maxime ceu legitimum Traditionis divinae testimonium respici oportere, quando testantur eam esse fidem, doctrinam, ac professionem Ecclesiae; aut, quod perinde est, quum doctrinam dogmati, in quo consentiunt, oppositam haereticam esse declarant, ejusdemque assertoribus anathema denunciant,

diris-

dirisque devovendo: esse decernunt. Atqui jam supra Capite IV. ostendimus, non solum Palestinos, sed vel maxime Africanos Patres, & Episcopos, plus simplici vice synodaliter congregatos, cum S. Augustino circa præfens doctrinæ caput de *moralis hominis insufficientia* servandi legem *naturalem*, & omnia peccata vitandi, deque *virium naturalium* ad utrumque *impotentia* adeo fuisse profus consentientes, ut & oppositum dogma ad *Pelagianorum hæresim* pertinere declaraverint, & ejusdem assertores *anathemati* subjicendos: *omnibus execrationibus detestandos: ab auribus omnium removendos, & ore omnium anathematizandos: ecclesiastica communione privandos*, aperte decreverint, eorum judicia, atque decreta supremis Ecclesiæ Præsulibus *Innocentio, Zozimo, & Cælestino* per omnia confirmantibus, & *tanquam propria Sedis Apostolicæ amplectentibus* reliquarum orbis Ecclesiarum consensu accedente (§. XL. — XLI). Habemus igitur in hoc Patrum simul, ac Ecclesiæ Præfulum circa præsentem doctrinæ articulum tam solempni consensu manifestum divinæ traditionis *declarativæ* testimonium, firmissimumque divinæ revelationis argumentum.

§. CXXII. Ad hujus traditionis confirmationem plurimum ponderis addit Synodus Arausiana II. anno 529. celebrata, quæ maximam in Ecclesia auctoritatem obtinuit, utpote quam Sedes Apostolica approbavit, & 25. canones de gratia, & libero arbitrio ab ea conditos Bonifacius II. Rom. Pontifex confirmavit. De hac enim Synodo a Jacobo *Sirmondo* apposite adnotatum legimus: *ab ea totam de gratia, & libero arbitrio controversiam ex S. Augustini sententia fuisse compositam a)*: ejusque placitis

a) In Notis ad eandem Synodum,

ris Ecclesiam deinceps tanquam norma doctrinae adversus Semipelagianorum errores usam fuisse a).

Hæc igitur Synodus Can. 1. ita statuit: *Adjutorium Dei in renatis, & sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare: ergo etiam ut possiat legem Dei servare, & sine peccato vivere: hæc enim ita sibi invicem connexa sunt, ut alterum ex altero necessario consequatur. Quum igitur Arausiaci Patres cum in finem adjutorium Dei sanctis, ut in opere bono perdurare possint, jugiter implorandum esse præcipiant: necesse profecto est, ut vires naturales, uti ad perdurandum in opere bono, ita & ad legem Dei servandum, atque ad vitandum omne peccatum etiam in sanctis moraliter insufficientes Synodum agnovisse concludamus. Quis enim, ut Augustinus ait, veraciter gemat, & imploret, desiderans accipere, quod orat, a Domino, si hoc a se ipso sumere existimet, non ab illo?* b). Sed audiamus porro eosdem Patres mentem suam de hoc argumento luculentius explicantes. Ajunt namque Can. 21. *Christum non gratis mortuum esse, ut &*

L

lex

- a) In Notis ad Epist. 9. Lib. 9. Apollinaris Sidonii. Utramque hanc observationem e Notis Sirmondi eliminare operæ pretium duxit Philippus Labbeus ejusdem olim Instituti Socius, in Editione posteriori an. 1652 ab ipso procurata. Male nempe Labbeum habuerunt, quæ Sirmondus agnoscit, palamque prædicat, ex S. Augustini sententia pependisse totam hanc fidei quæstionem, ejusque judicium secundum celeberrimæ Synodi, ac ipsius Sedis Apostolicæ præscriptum, inquit, August. *Le Blanc* in Præfatione ad Histor. Congrega. de Auxiliis pag. XLI. Observat quoque Binius in Notis huic Synodo subjunctis: *quor hujus Concilii Capitula, tot sententias catholice Ecclesie esse stabilitas, a quibus absque prævaricationis piaculo nulli fideli recedere liceat.* b) Lib. de dono persever. Cap. 23.



lex per illum impleretur : atque demum Can. ultimo perspicue docent : Deum nobis fidem, & amorem sui prius inspirare, ut cum ejus adjutorio ea, quæ sibi sunt placita, puta, conformiter ad Canonem 21., legis mandata implere possimus. Ac proinde &c.

§. CXXIII. Habes igitur tres insigniores Ecclesias, *Palestinam* nempe, *Africanam*, & *Gallicanam* cum Ecclesia *Romana*, circa præfatum doctrinæ articulum, a totidem summis Pontificibus *Innocentio*, *Zozimo*, *Cælestino*, & *Bonifacio* confirmatum consentientes ; quo, nescio, an ad fundandum, firmandumque divinæ traditionis testimonium efficacius quidquam atque illustrius desiderare quis possit ? Sed magis adhuc his robur accedit ex constanti, ut vidimus, Ecclesiæ consensu circa doctrinam de morali hominis impotentia vincendi graves tentationes, divinique auxilii necessitate ad eas vincendas, etiam quum de victoria duntaxat agitur, quæ præcise sufficiat ad evitandum peccatum, ad quod tentatio impellit, uti jam supra Capite X. ex SS. Patribus & Conciliis affatim demonstravimus. Cum enim ejusmodi tentationes in toto humanæ vitæ, imo & quotidiano conversationis studio adeo frequentes occurrant, ut propterea ad eas superandas *quotidianum* Dei adjutorium, juxta normam ab ipsomet Salvatore præscriptam, identidem implorandum esse iidem Patres præcipiant (§. CXI.) ; ne secus tentationum importunitate aut vehementia in transversum æcti a via mandatorum Dei ad vitiorum devia declinemus, neve, ut Patres Milevitani ajebant, *in peccatum tentati decidamus ; quod in nostra potestate positum esse, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis* aperte contra Pelagianos inficiantur (§. CI.) : liquido proin apparet tam arctum istic esse dogmatis utriusque nexum, ut sibi invicem manus porrigant, Patrumque consensus in unum sine consensu in alterum doctrinæ articulum
sub-

subsistere omnino nequeat, cum hic posterior necessarium sit prioris illius corollarium.

Quamobrem Synodus Trid. postquam Sess. 6. Cap. 13. docuisset: *in pugna cum mundo, carne, & diabolo victores nos esse non posse, nisi cum gratia Dei* (§. CIII); his cõærenter Can. II. definivit: *hominem per liberum arbitrium sine gratia per Jesum Christum juste vivere non posse*; consequenter nec legem Dei servare, nec peccata vitare sine gratia posse. Nam declinare a malo, quod lex prohibet, & facere bonum, quod illa præcipit; duo sunt universales justitiæ canones, quos qui observat, juste vivere omnino censendus est. Cum igitur duo hæc: *juste vivere: legem Dei servare, & sine peccato vivere* per vires liberi arbitrii sine gratia hominem non posse, quoad sensum sibi formaliter æquivaleant; utrumque proinde citati Canonis verbis intendere, ac definitione sua complecti Synodum voluisse manifestum est. Id quod etiam necessarius cum præmissa doctrina nexus exigit, prout modicam ad proxime dicta attentionem adferenti non poterit non esse perspicuum.

§. CXXIV. Ad pleniorẽ porro præsentis doctrinæ confirmationem etiam istud plurimum compendii adfert, quod hujus dogmatis veritatem *in verbo Dei scripto, & tradito* tam perspicue, ut vidimus, fundatam, *ipso quoque facto* suo Ecclesia comprobaverit, ex quo pro gratia ad legem Dei servandam, vitandumque peccatum a Deo impetranda publicas preces ordinavit. Enim vero testante Papa Cælestino ad Episcopos Galliæ scribente: *legem credendi, lex statuit supplicandi*. Quid autem Ecclesia fidelium nomine a Deo flagitet? novit imprimis quisque fidelis, dum in publicis Ecclesiæ Litanis orat: *ab omni peccato: a transgressione mandatorum tuorum: libera nos Domine*. Norunt quoque, quid in officio Ca-



nonico Clerici, quidque inter tremenda Altaris sacrificia pro fideli populo facer Mystes Deum exoret, dum in ipso cujuslibet diei auspicio auxilium Dei implorat, ut hac die *ad nullum declinemus peccatum*: dumque stans per annum diebus ad horas singulas, & in Missæ Sacrificio preces ingeminat: ut Deus *nos semper faciat suis servire mandatis, & ut quæ nobis agenda præcipit, eo miserante adimplere possimus*: dum denique præter alias consimiles orandi formulas ab Ecclesia præscriptas populi nomine supplices ad Deum preces ita fundit: *Deus, qui scis, quia ex nostra fragilitate subsistere non possumus; da auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi, & actione placeamus*. Et rursum: *Vota, quæsumus, Domine, supplicantis populi cœlesti pietate prosequere, ut, & quæ agenda sunt, videant, & ad implenda, quæ viderint, convalescant*.

Atqui vero si naturales humanæ naturæ vires juri naturali servando adeo sufficientes cum Cl. Jcto homini inesse supponas, ut legem Dei servare, & sine peccato vivere omnino valeat; quid, amabo, necessum est nostris ad Deum precibus efflagitare, quæ nativis viribus præstare ex nobis ipsis possumus? inaniter certe, nedum fallaciter a Deo petitur, quod in nostra jam positum potestate credatur: *si enim hæc possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non videat, ea a Domino inaniter peti, & fallaciter exorari, quæ naturæ nostræ jam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur?* prout apposite ajunt Carthaginensis Synodi Patres in Epistola ad Innocentium I; quam eorum rationem usque adeo probavit S. Pontifex, ut ad eosdem Patres hæc rescribere non dubitaverit: *Ipsi, qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se posse confidunt, quantum vix illi, qui ab illo postulant, & accipiunt, promerentur*. Quibus adde, quæ jam supra

(S.

(S. CXI.) ex eadem Innocentii Epistola transcripsimus. *)

S. CXXV. Eodem argumento ex publicis Ecclesie precibus petito S. Augustinus, qui primus ejus auctor esse censetur, sæpius adversus Pelagianos usus est; quippe qui totus in eo erat, ut ostenderet, prorsus irrisorie, falso, fiteque a Deo postulari, quod quis viribus posse suis obtinere confidit: *nolite errare, inquit, Deus non irridetur. O homo! non verborum tantum, verum etiam cogitationum tuarum testis est Deus. Si aliquid ab eo veraciter, ac fideliter poscis, ab illo, a quo poscis, te accipere crede, quod poscis. Noli eum labris honorare, & super eum corde te extollere, credens a te ipso tibi esse, quod ab illo fingis orare a)*. Deinde in Epistola ad Vitalem agebat: *prorsus non oramus, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum credimus facere, quod oramus. Ino alibi quoque nihil stultius esse asserit, quam orare, quod habeas in potestate. Denique ad Hilarium b)*, scribens multis ostendit, Deum a nobis frustra orari, nisi ejus dona confiteamur: hinc acurate perpendit oraculum illud sapientie 8. *Scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientie scire, cujus esset hoc donum: Adii Dominum, & deprecatus sum illum. Ex quibus verbis colligit S. Doctor, neminem quidquam a Deo obtinere,*

L 3

nere,

a) Lib. de dono persever. Cap. 2. b) Epist. 19.

*) Que personatus sub Phereponi nomine Joannes Clericus ad elevandam vim hujus argumenti ex orationis necessitate Patribus familiari momenta attulit, quibus Pelagium faceret non stultum, dum facere non potuit orthodoxum; solide explosa vide apud celeb. Muratorium in laud. opere de ingeniorum moderatione &c. Lib. 3. Cap. 6.



nere, nisi petendo, *) neminem petere nisi noverit, quid a Deo pendeat, atque idcirco oportere cognoscere, ut prudenter & religiose petamus. Derisoria igitur petitio foret, si quid a Deo petatur, quod scias ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate, vel eo donante homini deesse nunquam posse. Deum igitur irrideret *Pelagianus*, si ab ipso peteret potentiam implendi legem Dei, & peccata vitandi, quam libero arbitrio insitam esse existimat. Deum irrideret *Semipelagianus*, si bonæ voluntatis initium, quod a se ipso habere putat, a Deo postularet. Deum denique irrideret *Christianus*, si a Deo peteret consensum gratiæ, quem Deus ab illo expectat, vel si peteret gratiam sufficientem & ad natura versatilem, quam ipse nulli pla-

ne

*) Eruditus commentator in dissertationem *Petr. Tamburini* Vindob. Editionis opportune in hunc auctoris locum observat: — Quod dicitur *neminem adeo quidquam obrinere, nisi petat*, generaliter non intelligi de omnibus gratiis, ut patet ex iis, quas accipiunt infantes, infideles negativi, & etiam peccatores obdurati; nam ex *Augustino* L. de dono persever. Cap. 16 constat, Deum alia dona etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse. Dicit tamen posse has etiam gratias a Deo non concedi, nisi intuitu precum, non quas isti ad Deum fundunt, sed quas pro ipsis fundit Ecclesia, & potissimum earum, quibus Christus Ecclesiæ suæ omnia gratiæ dona a Deo Patre impetravit; & ex quibus Christi & Ecclesiæ precibus etiam in nos dimanat gratia orationis, ad quam gratiam impetrandam, si alia nostra oratio præcedere deberet; nemo non videt, nem in infinitum processuram. Dicit etiam potest cum auctore doctissi. ex consueto fere divina providentiæ ordine gratiam conversionis ad bonum, vel perseverantiæ in bono, non dari a Deo, nisi petentibus; quo posito principio vim suam obtinet argumentum, quod ille post *S. Augustinum* invicte urget, scilicet multum interesse gratiæ necessitatem, ac naturam, atque indolem noscere, ut sciamus, quid a Deo petere debeamus. —

ne hominum deesse putat; prout scite observat Vir doctiss. Petrus Tamburini a) jam alias a nobis laudatus.

Inde vero alterutrum e duobus sequatur, oportet: aut quod vera, sincera, seriatque sit deprecatio nostra, quæ ab omni peccato, legumque naturalium transgressione liberari, iisdemque adimplendis pares esse a Deo petimus; nostram ut consequenter per proprias vires utrumque præstandi moralem impotentiam humiliter agnoscamus; aut si vires naturales legi divinæ servandæ, peccatoque vitando *sufficientes*, & expeditas, naturæque nostræ etiam pro hoc corruptionis statu insitas cum Cl. Jcto credimus; Ecclesiam precibus suis Deum ludificari propriis nostris ingratiis concludamus; non secus, ac qui sanos a Deo oculos, pedesve ad incedendum expeditos peteret, quos jam ab eo se accepisse cognoscit, Deum haud dubie ludificari precando velle convinceretur. Quod absurdum ne admittere cogamur, necesse est, ut verum esse agnoscamus, quod S. Augustinus docet, cum ait: *certum est nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus b)*. Et rursus Epistola ad Asselicum: *Utilitas legis est, ut homines de sua infirmitate convincat; & gratiæ medicinam implorare compellat.*

L 4

CA-

a) Diff. §. LI. cit. pag. 51. - 52. b) Lib. de gratia & lib. arb. Cap. 16.



CAPUT XIII.

Confirmatur thema præsens ex quorundam præceptorum juris naturalis gravi difficultate solis naturæ viribus nunquam superanda. Hæc inter pertinent præcepta: de non concupiscendo; de dilectione inimicorum: & præcipue præceptum naturale diligendi Deum super omnia ut auctorem naturæ. Quod ob nimiam ad bonum privatum adhæSIONEM sine gratia impleri potentia morali non posse docent SS. Bernardus, & Thomas, & ante hos Concilii Arausici Patres; novissime vero Synodus Tridentina definiens: sine gratia Deum diligere non posse sicut oportet. Diligere Deum, ut oportet, quum ut auctor naturæ super omnia diligitur; ex primo Symboli Apostolici Articulo, & ex S. Augustino demonstratur. Hanc Dei dilectionem in præsentis statu proxime, vel remote ad justificationem hominem disponere ex præmissis quibusdam consecutariis conficitur. Inde instauratur argumentum ex Synodo Arausicana, & Tridentina depromptum.

§. CXXVI. **A**d ulteriorem præsentis thematis corroborationem accedit, quod negari omnino nequeat, existere quadam juris naturalis præcepta, quæ spectata hominis infirmitate longe sunt observatu difficillima, adeoque

que moraliter impossibilia. Istud enim post S. Augustinum Synodus Trid. satis perspicue his verbis innuit: *Deus jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis a)*. Supponit ergo aliqua esse præcepta, quæ potentia morali fieri possint per vires naturales; quædam vero, quæ seruari ab homine nequeant, potentia morali cum actu conjuncta propter adhærentem difficultatem, quam non tollit nisi gratia precibus exorata. Hoc sensu agebat S. Augustinus: *Deus jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa est fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat, b)*: distinguenda enim est lex a gratia, lex jubere novit, gratia juvare, inquit idem S. Doctor Epist. ad Innocentium Papam jam sæpe laudata. Denique Juliano subinde objicienti: *Hæc imperat Deus, quæ fieri possunt*, respondet Lib. 3. Operis imperf. n. 116, *Non est verum, quod dicis; sed ipse dedit, ut faciant eis, qui facere possunt, & faciunt, & eos, qui non possunt, imperando admonet a se poscere, ut possint. *)* Unde communiter docent

a) Sess. 6. Cap. 11. b) Lib. de grat. & Lib. arbitr. Cap. 16.

*) Mirum non est, Augustinum a quibusdam sequioris ævi Theologis accusatum fuisse, velut qui excefferit, de lege adversus Pelagianos scribens; cum nec defuerint, qui vel ipsum Gentium Apostolum in ejusdem excessus invidiam vocarent (§. CXX. Nota). Sed Augustinus posthumum sui vindicem nactus est in Cardinale Norisio in Vindiciis August. § VI. p. 54. & seq. Neque novum hoc erat accusationis caput, sed a Pelagianis Augustini æmulis mutuatum, quos jam olim S. Doctor S. Pauli auctoritate egregie refutabat Lib. 3. ad Bonifac. C. 2. ita scribens: *Prorsus non intelligunt, quid de lege dicamus: quia id, quod dicit Apostolus, quem non intelligunt, dicimus. — Dicimus lege fieri, ut Deus, quid fieri velit, audiat: gratia vero fieri, ut Deo obediat. Lex er-*



cent Theologi cum S. Thoma: doctrinam, & literam legis Evangelicæ, qua parte se extendit ad actus interiores, & exteriores, longe graviolem ac difficiliorem esse lege veteri: *Alia difficultas est, inquit S. D. circa opera virtutum in interioribus actibus. - - - Et quantum ad hoc præcepta novæ legis sunt graviora præceptis veteris legis: quia in lege nova prohibentur interiores motus animi, qui expresse in veteri lege non prohibebantur in omnibus, est in aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis pœna non apponebatur. Hoc autem est difficillimum non habenti virtutem a).* Quare si observatio legis veteris erat moraliter impossibilis, ut eam propterea Apostolorum Priuceps jugum appellaverit, quod nec Patres nostri, nec Apostoli olim portare potuerint b); idem ergo a fortiori de sola legis Evangelicæ litera dicendum erit. Enim vero diligere Deum usque ad contemptum sui: abnegare semetipsum; uti hoc mundo tanquam non utamur: motus iræ, superbix, vindictæ, pravæque cupiditatis identidem nos laceffentes compescere ita difficile esse sine spiritu vivificante, ut sit moraliter impossibile, nullus, puto,

go auditores justitiæ facit, gratia factores - - Ecce, quod dicimus, orent, ut aliquando intelligant; non litigent, ut nunquam intelligant. Tum ibidem C. 7. n. 20. Cur, inquit, Paulus justitiam suam, quæ ex lege est, noluit habere, sed projecit, ut stercora? (Philip. 3. v. 6. seq.) nisi quia hoc est, - - eos esse sub lege, qui ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subiecti? putant enim se arbitrii sui viribus implere legem jubentem, & ista impliciti superbia ad gratiam non convertuntur juvantem. Sic eos litera occidit. - - Ita remanent aut aperte iniqui, aut fallaciter just: in aperta iniquitate evidenter elisi, in fallaci justitiâ insipienter elati. Hæc utique quam optime quadrant in eos, qui S. Augustinum, & cum eo S. Paulum ob nimiam legis depressionem accusare non erubuerunt.

a) Quæst. 170. Art. 4. b) Actor 15. v. 10.



puto, diffitebitur, qui humanæ corruptionis indolem habeat exploratam.

§. CXXVII. Et quis porro sibi adeo præfidere aufit, ut tantam nativis viribus suis virtutem attribuendam putet, quantam de se præsumere non audebant Viri quique in omni sanctitate, & christiana perfectione contumacissimi? Atqui vero nec Auctor Libri sapientiæ, nec Apostolus ipse tantum viribus suis confidere aufi sunt, ut præceptum juris naturalis: non concupisces, sine adjutorio & gratia Dei observare se posse crederent: Scivi, ajebat ille, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. a) In quem locum S. Augustinus: Jubeat ergo Deus, inquit, continentiam, jubet per legem, dat per gratiam b). Nec minus sincere alter de se ipso fatetur: aliam se videre legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, demumque exclamans subjungit: infelix ego homo! quis me liberabit a corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum C. D. N. c). Unde rursus S. Doctor d): Procul dubio, ait, a corpore mortis hujus, ubi alia lex repugnat legi mentis, neminem liberavit, aut liberat sua possibilitas, quæ perdita eget Redemptore, sauciata Salvatore; sed gratia Dei per fidem unius Mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Jesu, qui & Deus cum esset, hominem fecit, & manens Deus homo factus refecit ipse, quod fecit. Nipia ergo præfidentia, nedum insigni arrogantia fascinatius sit oportet, qui quantum ad observationem hujus legis per solas naturales liberi arbitrii vires plus gentium Apostolo facere se posse contendat.

§. CXXVIII. Exstat præterea peculiare Juris naturalis præceptum de dilectione inimicorum in lege
Evan-

a) Sap. 8. v. 21. b) Ep. 89. ad Hilar. c) Ad Rom. C. 7. v. 23. 24. 25. d) Epist. ad Innocentium Pp. suo, & aliorum Episcoporum nomine missa.



Evangelica evidentissime inculcatum: *diligite inimicos vestros*, ait Christus, *bene facite his, qui oderunt vos* a). Sed vero hujus legis obligationem propriis naturæ viribus morali potentia impleri non posse SS. Patres passim aperte fatentur. S. Ambrosius: *hoc præceptum, inquit, post Evangelium omnes didicimus & servare non possumus* b), intellige, solis naturæ viribus; servari ergo posse viribus gratiæ supponit adducto ibidem exemplo Josephi Patriarchæ. Similiter S. Hieronymus idem præceptum *Sanctorum viribus*, id est, viribus gratiæ possibile esse contendit, idque plurimum Sanctorum exemplis demonstrat, solumque eorum sententiam improbat, *qui præcepta Dei sua imbecillitate, non Sanctorum viribus estimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt: sufficere virtutibus, non odisse inimicos: ceterum diligere, plus præcipi, quam humana natura patiatur* c). Docet igitur S. Doctor præceptum istud absolute impossibile æstimandum non esse: quod tamen vires naturæ morales exuperet spectata naturæ imbecillitate; possibile tamen sit saltem viribus Sanctorum propriis, seu gratiæ cœlestis opitulatione. Hac autem seclusa præceptum illud humanæ imbecillitati moraliter impossibile eum existimasse dubitari omnino nequit, prout vim verborum ejus consideranti patebit.

His jam omnibus probe pensatis, siquæ adhuc sunt, qui naturæ humanæ ita adulandum putent, ut vires juri naturali servando sufficientes, quibus legem Dei servare, & sine peccato vivere possis, eidem attribuant; his quidem consultissimum fuerit, ad interiores animi sinus excutiendos remitti. Ita enim futurum confidimus, ut cum ex ulcerosa veteris peccati plaga inordinatarum affectio-

a) Math. Cap 5. v. 44. b) De Joseph. Patriarch. Cap. 1.
c) Lib. 1. Comment. in Cap. 5. Math.

fectionum, passionumque suarum saniem manantem viderint, non solum ipsi verecundo rubore suffundantur; sed & apud alios, qui *Solonis* monitum secuti intimius semetipsos noverunt, merito se deridendos exponant; non secus ac illi Alexandri Macedonis abjectissimi olim palpones, quos Heros ille magnus ob adulatoriam sui apotheosim insigniter deridebat, simul atque profluentem ex inflicta recenti plaga cruorem aspexisset.

§. CXXIX. Neque demum omittendum est alia inter Juris naturalis præcepta, quæ ob gravem difficultatem morali potentia impleri ab homine sine gratia nequeunt, præcipue connumerandum esse primum, maximumque divinæ dilectionis mandatum, quo Deum *super omnia* diligendum esse admonemur. Enim vero amor Dei super omnia ut verus sit, atque sincerus, necesse est, ut totum hominem, & cætera ita ad Deum referat, ut vim habeat refecandi omnes cupiditates, & inordinatum sui ipsius amorem: quemadmodum aurum non est genuinum, nisi fornacem sustinere possit, quamvis actu eam non experiatur. Atqui talem actum homini lapsio moraliter esse impossibilem nullus propriæ fragilitatis conscius, puto, negabit, imo cum S. Bernardo lubens fatebitur, qui in libro de dilig. Deo Cap. 2. postquam ostendisset omnes infideles ex lege naturæ teneri diligere Deum ex toto corde &c. & *inexcusabiles esse*, si eum sic non diligant, puta propter physicam, quam habent, Deum ita diligendi potentiam; mox subjunxit: *Verum id difficile, imo impossibile est*, intellige moraliter, *suis scilicet quempiam liberive arbitrii viribus semel accepta a Deo ad Deum ex toto convertere voluntatem, & non magis ad propriam retorquere, eaque sibi tanquam propria retinere, sicut scriptum est: omnes, quæ sua sunt, querunt, & iterum: proni sunt sensus & cogitationes hominis in malum.* Contra quod plane fideles norunt, quam om-

nini

nino necessarium habeant Jesum, & hunc crucifixum. Quibus consona habet S. Thomas 1. 2. Q. 109. Art. 3. ubi ait: *Homo in statu naturæ integræ dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei sicut ad finem, & similiter dilectionem omnium aliarum rerum; & ita diligebat Deum plusquam se ipsum, & super omnia. Sed in statu naturæ corruptæ homo ab hoc desicit secundum appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur, per gratiam Dei.* Hæc vero utriusque S. Doctoris verba expendenti manifestum est allatas ab utroque rationes vim quoque habere comparate ad amorem Dei *super omnia*, quatenus Deus consideratur, ut *auctor naturæ*: eadem enim remanet Deum ita diligendi difficultas ob prævalentem naturæ corruptæ in malum propensionem, ob nimiam ad privatum bonum adhæSIONem, immodicamque priorum commodorum confestationem, quorum sacrificium, plenamque renunciationem sæpenumero exigit amor Dei, etiam solum ut *auctoris naturæ super omnia diligendi*.

§. CXXX. Atque hinc porro patet, cur scriptura, SS. Patres & Concilia, quoties Deum sine gratia diligere non posse præcipiunt, nullo inter gratiæ & naturæ auctorem facto discrimine verbis generalibus irrestrictisque passim utantur, prout eorum testimonia consideranti patebit, quæ Theologi congerunt, ad quos brevitate gratia lectores remittimus. Unde Synodus Arausiana II. maximæ, ut vidimus (§. CXXI.), in Ecclesia auctoritatis Can. 25. *Prorsus, inquit, Dei donum est diligere Deum, quæ propositio utpote indefinita, cum universali æquipolleat, idem præcul dubio significat, ac nulla ratione, nisi Deo donante, diligere Deum posse.*

Sed peculiari animadversione digna sunt, quæ post hunc Canonem continenter adjecta leguntur: *Hoc Deo pro-*

propitiante prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia divina prævenierit. Inde vero cum aliis Theologis Tournelyus recte ita arguit: — Synodus his verbis impotentiam hominis lapsi ad Deum super omnia diligendum repetit non tantum ex *supernaturalitate* actus, sed etiam ex *infirmitate* liberi arbitrii per peccatum contracta: ergo impotentia illa extendenda est etiam ad amorem Dei *naturalem*, nempe ut auctoris naturæ. Certum est enim non fuisse contractam per peccatum impotentiam diligendi Deum actu supernaturali sine gratia: hæc enim impotentia jam erat ante peccatum. Contracta ergo fuit per peccatum impotentia diligendi Deum super omnia sine speciali auxilio confortante nostram voluntatem ad quærenda propria sua commoda inclinatum; adeoque jam necessarium esse speciale Dei auxilium, ut Deus super omnia diligatur - - - etiam tanquam auctor naturæ. — *)

§. CXXXI.

- *) Ita laudatus Theologus Quæst. IV. de necessitate gratiæ Art. 3. Concl. 2. Observandum vero eundem auctorem ibidem porro arguere, hanc impotentiam diligendi Deum super omnia esse *physicam*; hujus autem occasione vide, quæ jam supra (§. XCVIII. — XCIX.) notavimus, ubi ostendimus contra Tournelyum admittendam esse in homine lapsio potentiam physicam respectu legis naturalis servandæ, nunquam tamen in actum redigendam propter conjunctam moralem impotentiam: quod proinde etiam dicendum est de amore Dei super omnia, *ut auctoris naturæ*, cum & hic amor lege naturali præceptus sit. Sed illud præterea paradoxum, quod idem Sorbonicus Doctor inter objectiones in Responsione ad: *Instabis* 4. supponat liberum arbitrium ad Deum super omnia diligendum *in homine post peccatum remansisse*

quæran-



§. CXXXI. Docet præterea eadem Synodus mox laudato Canone: neminem sine gratia *aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum posse*. At certe qui Deum ut auctorem naturæ super omnia diligit, Deum, *ut oportet*, diligere censendus est; non secus ac qui credit in Deum ut auctorem naturæ in Deum, *ut oportet*, credit: quia credit, prout in Symbolo Apostolorum præscribitur: *Credo in unum, Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ*. Aut dicemusne Apostolos alium, quam oporteat, credendi modum præscripsisse? Quid autem exterius profitemur, cum dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem &c.*? Augustinum respondentem audiamus: *credendo, inquit, amare, credendo diligere, credendo in Deum ire a)*. Quare si credendo in Deum, ut Creatorem cæli & terræ, adeoque ut *auctorem naturæ*, in Deum credimus, *ut oportet*; consequens est, ut Deum qua auctorem naturæ super omnia diligendo, eum quoque, *ut oportet*, nos diligere fateamur, quod sine præveniente gratia fieri non posse Arausiaci Patres contestantur.

Deinde quis neget, Deum, *ut oportet*, diligere, qui eum diligit *ordinatissima charitate*? atqui vero sic diligit, qui Deum ut Creatorem & auctorem naturæ super omnia diligit: *diligamus, inquit Augustinus, in omnibus rebus Dei facere voluntatem, & Creatorem nostrum amemus in semetipso, creaturam vero in Conditorum, & sic habebimus ordinatissimam charitatem b)*. At unde est nobis *charitas*

quantum ad substantiam & naturam; quamvis fateatur, per peccatum contractam fuisse *physicam* Deum ut auctorem naturæ super omnia diligendi impotentiam, adeoque *physicam* non diligendi necessitatem eum diligendi libertate conciliet?

a) Tract. 29. in Joan. b) Serm. 43. de Sanctis.

ritas Dei, & proximi, ait rursus S. Doctor, nisi ex Deo & nam si non est ex Deo, sed ex hominibus; vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo: vicimus Pelagianos a). Ac proinde Pelagianis palmam cedant, oportet, qui se Deum ut naturæ auctorem super omnia diligere viribus suis posse gloriantur.

§. CXXXII. His potissimum accedit definitio Synodi Trid., quæ Canones Arausicanos ex S. Augustini doctrina depromptos (§. CXXI.) secuta, Sess. 6. Can. 3. si quis, inquit, dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Igitur juxta hunc Canonem Deum, ut oportet, diligi sine gratia non posse, est articulus fidei; sed qui Deum ut auctorem naturæ super omnia diligit, reapse eum diligit, ut oportet (§. præced). Nam is, ut oportet, Deum diligit, qui bene utitur creaturis & bene convertitur ad summum bonum; at certe hoc facit, qui Deum creatorem omnium super omnia diligit: ait enim S. Augustinus Enchirid. Cap. 25.: Dei mandata fieri ut oportet, cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum: & rursus Cap. 121. nisi, inquit, omne præceptum referatur ad charitatem, id est ad Deum ceu objectum & finem charitatis, quam Deus diffundit per Spiritum sanctum in cordibus nostris; ut si vel timore pænæ, vel aliqua intentione carnali fiat -- non sit quemadmodum fieri oportet. Igitur si diligatur Deus propter Deum, ita ut omnia alia referantur in ipsum velut summum bonum, quod utique facit, qui Deum Creatorem super omnia diligit; jam hoc ipso Deus diligitur, ut oportet, nempe amore casto & ordinato. Porro per definitionem Tridentini Deus ut oportet diligi nequit

M

fine

a) De grat. & lib. arbitr. Cap. 18.



sine præveniente gratia — ergo nec sine hac super omnia diligere Deum posse ut auctorem naturæ ex laudato Canone, qui propterea inter Deum ut auctorem naturæ, & gloriæ nullum discrimen facit, evidenter consequitur.

§. CXXXIII. Neque effugies, si dicas: homo naturaliter agnoscit Deum esse summum bonum, ac proinde super omnia amabile; poterit ergo potentia morali sic eum naturaliter diligere. Nam juxta S. Thomam: *natura humana magis est corrupta per peccatum, quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri a*). Deinde virtutes intellectuales non pugnant contra cupiditates & passiones, sicut virtutes morales. Et sane, quæ est ad rem prorsus opportuna doctiss. *Contensonii* observatio; si voluntatis vires sufficiunt, ut Deum lumine naturæ notum caste, id est super omnia, & propter ipsum, diligat; eadem voluntas Deum auctorem supernaturalem semel per fidem cognitum sine gratiæ adjutorio diligere super omnia poterit. Nam quod Deus sit auctor supernaturalis, non addit difficultatem amoris, sed potius facilitatem auget, & voluntatem ad diligendum magis, magisque allicit, cum majorem objecti amabilitatem proponat. Unde ibidem recte concludit; ex hac sententia sequi: quod omnis peccator fidelis, sine nova gratia, Deum ut gratiæ auctorem super omnia diligere posset; quod omnino a veritate alienum est. b) cum id ipsum ne quidem de fidelibus justis dici vero possit propter conditionem status naturæ humanæ; quæ quidem licet per gratiam, (puta habitualem) sanetur quantum ad mentem; remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem — — — Et ideo necesse est nobis ut a Deo dirigamur, & protegatur, inquit S. Thomas. c).

§. CXXXIV.

a) 1. 2. Quæst. 109. Art. 2. ad 3. b) Lib. 3. Diss. 2.
Cap. 1. c) Cit. Quæst. Art. 9.

§. CXXXIV. Ergo 1) *potentia physica*, quam ad *naturalem* amorem Dei super omnia ut auctoris naturæ homini lapsæ inesse diximus (§. CXXIX.), est potentia cum *impotentia morali* conjuncta: quamvis enim in hoc statu *naturalem* hunc Dei amorem per *physicas*, quas habet, vires homo habere absolute posset; nunquam tamen futurum est, ut eum habeat propter conjunctam *gravem* difficultatem, ad quam superandam vires, quas habet voluntas, nunquam exeret, (§. LXXIX) ob nimiam ad bonum proprium, privataque studia adhæsiōnem, nec non immodicam in bona commutabilia proclivitatem (§. XLVII, &c.). Ergo 2) in hoc statu Deus ut auctor naturæ amari super omnia *moralis* & expedita potentia nequit, nisi illa voluntatis difficultas, & memorata amoris impedimenta tollantur; tolli autem aliter nequeunt, nisi Deus eum summum & incommutabile bonum magis animum delectet: quia juxta S. Augustini psychologiæ legibus conforme principium: *quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est* a), necesse, inquam, est *necessitate morali, secundum quid, & improprie dicta*, quæ libertatem non auferit (§. LXXVII. §. LXXXIX) Atqui vero juxta eundem S. Doctorem: *Deus inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum facit magis delectare, quod præcipit, quam delectet, quod impedit* b): adeoque ut magis suave fiat, magisque delectet, *quod non sic delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates* c). Ergo 3) Deus, etiam ut auctor naturæ, in statu naturæ lapsæ *moralis* potentia amari super omnia nequit, nisi mediante *supernaturali* gratia, consequenter non nisi amore *supernaturali*, qui talis fit ratione principii, ex quo procedit.

M 2

§. CXXXV.

a) In exposit Epist. ad Galat. Cap. 5. b) Lib. de Spirit. & cit. Cap. 29. c) Lib. 2. de peccat. merit. 17.



§. CXXXV. Ex his demum consequitur: in præfenti statu omnem Dei amorem, quo Deus, etiam ut *naturæ auctor*, super omnia diligitur, hominem proxime vel remote ad justificationem, & ad vitam æternam promerendam disponere aut perducere. *Primo* enim, omnis qui Deum ut auctorem naturæ tanquam summum bonum super omnia amore supernaturali diligit, Deum diligit *ordinatissima charitate, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris*, adeoque amore casto & ordinato (§. CXXXII.): sed vero omnis supernaturalis Dei amor castus & ordinatus proxime vel remote disponit ad justificationem, sicut perducit ad *coronam gloriæ, quam promissi Deus diligentibus se* a) utique amore casto, & ordinato; ergo &c. 2) *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, quique non est nisi a Deo Patre per Jesum Christum in Spiritu sancto*, ut loquitur Augustinus, sine dubio ad justificationem disponit. Atqui juxta eundem S. D. talis est amor Dei, ut auctoris naturæ: nam continenter addit: *Per hunc amorem Creatoris bene quisque etiam utitur creaturis, sine hoc amore Creatoris nullus bene utitur creaturis* b): ergo &c. 3) Supernaturalis actus contritionis, quo quis detestatur peccatum, quatenus est offensa *Creatoris*, ceu summi, & incommutabilis boni super omnia amabilis, sine dubio ad justificationem disponit: ergo etiam actus amoris, quo Deus *Creator*, ceu summum bonum super omnia diligitur; utpote qui in dicto contritionis actu includitur, quique in hoc statu, morali potentia haberi sine gratia nequit, adeoque ratione principii, a quo procedit, supernaturalis est (§. præced.), ad justificationem æque disponit.

§. CXXXVI. Inde rursus instauratur argumentum ex Synodo *Arausicana* & *Tridentina* paulo ante deprom-

a) Jac; 1. b) Lib. 4. contra Julian. Cap. 3.

promptum. Enim vero ex propria adversariorum interpretatione, dum utraque Synodus definit, neminem sine gratia diligere Deum posse, *ut oportet*, istud intelligi debet de dilectione Dei supernaturali, quæ disponit ad justificationem; sed vero per proxime demonstrata, dilectio Dei, qua Deus *ut auctor naturæ* super omnia diligitur, in hoc statu nequit esse nisi supernaturalis, & per eam homo reapse ad justificationem disponitur: ergo quum per Synodos illas definitum sit, Deum sine gratia diligi non posse *sicut oportet*: hoc ipso etiam definitum esse consequitur, super omnia diligi Deum sine gratia non posse etiam *ut auctorem naturæ*.

Atque ex his demum patet haud immerito scripsisse *Esium*: *contrariam huic propositioni doctrinam pertinere ad hæresim Pelagianam, etiam ex ea parte, qua Deum ut auctorem naturæ dicit posse sine gratia à nobis super omnia diligi. Siquidem conciliorum, & Patrum sententiæ generales sunt, nec distinctionem, qua hic utuntur auctores diversæ opinionis, admittunt. Rationes quoque generaliter concludunt, a) Unde etiam Bellarminus, postquam docuisset: non posse Deum, nisi ope ejus diligi, neque ut auctorem naturæ - - - subdit: atque hanc non dubitamus sententiam esse S. Augustini; imo etiam Scripturarum, & Conciliorum; quidquid aliqui minus considerate in hac parte scripserint b). Denique Soto, quum retulisset argumentum, quo nonnulli utebantur ad probandum, posse Deum ut finem naturalem a nobis super omnia diligi naturaliter: hoc inquit, *revera & absolum est christianis auribus, & præter rationem collectum. c).**

M 3

CA-

a) In Lib. 2. Dist. 26. §. 38. prope finem b) Lib. 6. de grat. & Lib. arb. Cap. 7. c) Lib. 1. de nat. & grat. Cap. 22.



CAPUT XIV.

Occurritur nonnullis exceptionibus contra hactenus stabilitam Ecclesiæ doctrinam. Exceptio prima, qua contenditur allatas hucusque S. Scripturæ, Patrumque auctoritates intelligi oportere de impotentia naturæ ad observanda omnia præcepta naturalis æque, ac supernaturalis ordinis; vel ad ea observanda quoad modum simul, & non quoad solam substantiam. His effugiis via præcluditur. Neque textum Apostoli ad Rom. 2. quidpiam officere ostenditur, de quibuslibet infidelibus naturaliter ea, quæ legis sunt, facientibus intelligatur. Exceptio altera ex contraria veterum Theologorum opinione diluitur. Ab hac vindicatur S. Thomas. Reliquorum Scholasticorum auctoritas elevatur, præcipue ex opposita communi cæterorum Theologorum doctrina.

§. CXXXVII. **S**tabilita jam adversus inconsultas catholici Jcti censuras orthodoxæ fidei doctrina, opportune occurrendum nunc est nonnullis exceptionibus, quæ ad fucum incautis faciendum in medium adduci ex adverso fors possent. Neque enim necessarium esse arbitramur, illis argumentis refellendis fusius hic immorari, quibus jam olim idipsum fidei dogma a Pelagianis impugnatum, & a Majoribus nostris assatim contra eos defensatum novimus; cum præsertim hac in re laboris compendium nobis fecerint Theologi, præcipue *Essius*,
Bellar-

Bellarminus, & Berti, ad quos brevitatis gratia lectorem remittimus. Impresensiarum ergo illis solum exceptionibus obviam ire conabimur, quæ ad vim argumentorum pro stabiliendo presentis doctrinæ articulo hactenus allatorum elevandam adferri posse subodoravimus. Sit itaque

Exceptio Ima. Argumenta ex Scriptura & traditione divina superius adducta intelligi debent de impotentia naturæ, & necessitate gratiæ, sive ad observanda omnia præcepta tam *naturalis*, quam *supernaturalis* ordinis, sive ad observanda naturalia quoad *modum* simul, puta cum merito vitæ æternæ; non vero quoad solam *substantiam*; quo posteriore modo *totam* legem naturalem ab infidelibus *naturaliter* observatam reipsa fuisse Apostolus ipse ad Rom. 2. testatur: *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.*

§. CXXXVIII. Verum exceptio hæc prorsus aliena est a vero S. Scripturæ & Traditionis sensu. 1) enim Apostolus, Patres, & Concilia, dum observationem legis moraliter impossibilem sine gratia asserunt, expresse loquuntur de præceptis Decalogi, adeoque de solis legis naturalis officiis, quæ utique distincta sunt ab officio charitatis, qua opus legis cum fructu & merito vitæ æternæ in Deum refertur; hujus enim officii nullam in adductis textibus mentionem faciunt. 2) Hanc legem servandi impotentiam probant ex imbecillitate status naturæ lapsæ; quæ cum corrupta & infirma sit per peccatum, jam nequit propriis præstare viribus, quod natura sana & integra præstitisset. Unde ad hanc infirmitatem viriunaque debilitatem, nulla facta mentione præceptorum supernaturalium, aut modi præcepta naturalia meritorie implendi, moralem illam naturalium virium impotentiam passim reducunt. Hæc autem ra-



tio vim obtinet, etiam quum sermo est de sola observatione legis naturalis *quoad substantiam*: quia natura *sana & integra* ad hæc solum præcepta propriis viribus observanda sufficeret; pro supernaturalibus autem, æque ac pro naturalibus meritorie quoad modum implendis gratia supernaturali omnino indigeret, sine qua nihil, quod naturalis tantum ordinis est, ad supernaturale sese exporrigere unquam potest. 3) Patres & Concilia citata naturales naturæ humanæ vires sufficere etiam negant ad *negativa* legis naturalis præcepta, quæ utique naturalia sunt, uti præceptum: *non concupisces*, cujus sæpius meminerunt. Quid? quod frequentius gratiam expresse requirunt *ad non peccandum*. Porro ad hoc satis est non violari aliquod præceptum, quod utique fit, dum observantur omnia, *quoad substantiam*. Igitur si PP. & CC. gratiam requirunt *ad non peccandum*; sequitur prorsus, gratiam ab iisdem requiri, adeoque naturales vires insufficientes censi ad omnia legis naturalis præcepta morali potentia, etiam solum *quoad substantiam*, quamdiu hoc fragile corpus gerimus, observanda; contra atque Pelagium dogmatizasse vidimus (§. CXIII.) *)

§. CXXXIX.

*) Plena igitur, & adæquata Pelagianæ hæresis notione carent, qui veteres quosdam Theologos, *omnia legis naturalis præcepta, quantum ad substantiam servari sine gratia posse* docentes, hoc cumprimis nomine ab hæresis Pelagianæ invidia vindicare cum. Ex. *Gazzaniæ* conantur, quod hanc observantiam *vite æternæ meritoriam esse* nunquam cum Pelagio docuissent. Quasi vero Pelagiani erroris summa solo hoc doctrinæ articulo contineretur; quum potius necessarium duntaxat corollarium sit aliorum principiorum, quæ Ecclesia in Pelagio expressius damnavit, dirisque devovit.

Horum unum erat: *Adæ lapsus posteris non propagatione, sed imitatione solum, seu malo exemplo nocuisse.* Alterum

§. CXXXIX. Apostoli verba quod attinet; quis credat illa gentium Doctore contra propositum excidisse;

rum: gratiam ad bonum FACILIUS duntaxat operandum secundum merita nostra dari: atque ideo ad non peccandum, seu ad non male faciendum gratia Dei adiutorium homini non esse necessarium, liberumque arbitrium sufficere ad dominica præcepta implenda, nisi gratia non adjuvetur, adeoque humanam ad forum utrumque sufficere posse naturam (§. XL, XLI). Ex his demum principiis necessaria consecutione inferendum relinquebat Pelagius: humanam naturam ad obtinendam salutem vitæ æternæ sibi solam sufficere: ut proinde Faustus Rejensis Lib. I. de gratia Dei, Pelagii doctrinam ad hoc universalissimum caput merito revocaverit, quod ex illius principiis necessario conseqnebatur. Nam si quem omnia peccata per solas naturæ vires reapse devitalisse ponas; is profecto in Pelagianæ doctrinæ systemate damnationi obnoxius esse non posset: quippe qui nullam damnationis causam: quia nullum sive originalem, sive actualis peccati, consequenter nec pœnæ reatum haberet; Deus enim cum sit justus, omnia juste disponit. Ipsam quoque, qui non debet puniri, damnare exterius æstimat a sua virtute, Sap. Cap. 12. v. 15. Rursus, si quos legem naturalem solis naturæ viribus observasse cum Pelagio sumas; hos quoque Deus salva sua in promissis fidelitate a vitæ æternæ participatione excludere haud posset: utpote qui vitam æternam mandata decalogi præceptis contenta servanti per Christum promissit: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Math. 19. v. 17.

Quare mirum videri non debet, si Concilia & Patres nullo unquam speciali canone Pelagianam illud corollarium pertrinxerint: perspectum enim illis erat illud perferendum, si modo illius fundamenta subruissent; quemadmodum obstruendo semel fonte rivulus ipse sponte siccat: ut proinde genuinam Pelagianæ hæresis indolem haud satis perspectam habere convincantur, qui eam ad confectarium illud Pelagiani systematis caput restringunt; quod primum postea contra Semipelagianos in Synodo Arauliciana II. can. 7. & novissime in Tridentina Sess. 6. can. 2. expressius fuerat definitum (§. CXXXIII).



se; quippe qui afflante Spiritu sancto in eadem Epistola totus in eo est, ut ostendat gratiam omnibus sive Judæis, sive gentibus ita necessariam esse ad legem implendam, ut eam per solas naturæ vires nemo unquam mortalium hucusque impleverit, aut impleturus sit sine Spiritu vivificante (§ CXVI). Quum igitur textus ibidem allati nullam exceptionem admittant; investigandum nunc est, quo sensu Apostolus scripserit; *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, facere.*

Est vero duplex hac in re Patrum sententia: Una illorum est, qui textum Apostoli interpretantur de gentibus ad fidem conversis, qui *naturaliter* hoc est sine legis scriptæ subsidio, sed tantum ope gratiæ naturam adjuvantis legem naturalem cordibus eorum insitam observabant, quos Judæi, quod recutiti non essent, sed præputiati, aspernabantur. Clamat ergo Apostolus *non auditores, sed factores legis* justos esse apud Deum: quia etiam gentes, quæ legem Moysis non habent, præcepta implere possunt, & licet carne incircumcisi, possunt circumcidi Spiritu, & *Judæi esse in abscondito*, ut ad finem capitis ejusdem loquitur Apostolus; *quales erant*, ut S. Chrysostomus ait, *qui vivebant cum Melchisedech, qualis erat Job, quales Ninivita, qualis denique erat Cornelius a)*. Unde S. Augustinus: *ideo, inquit, dicuntur naturaliter, quæ legis sunt, facere; quia ex gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumcissione, cui lex data est; & naturaliter, quia ut crederent, ipsa est in eis per Dei gratiam correpta natura b)*. Et hæc quidem sententia, teste Calmet, maxime catholica est, & plurimos habet Patronos; quæ licet minus literalis Calmeto videatur; contrarium
tamen

a) Homil. 5. in Epist. ad Rom. b) Lib. 4. contra Julian, Cap. 3. Vide etiam Lib. de Spiritu & lit. Cap. 26.

tamen ex toto Epistolæ contextu gravibus argumentis ostendit *Estius* a).

Altera sententia cum eodem S. Augustino de *infidelibus* Apostolum loquentem intelligit, vocemque *naturaliter* heic summit pro *sponte*, ut opponitur *coactioni*, quæ fit per legem extrinsecus advenientem, & minitantem, adeo ut sensus sit: Gentes sine lege scripta, ab ipsismet Judæis violata, utpote per quos *nomen Dei blasphematur in gentibus* Rom. 2., *sponte* & voluntarie multa, quæ legis sunt, faciunt, ac proinde Judæi adversus eos gloriari non possunt eo titulo, quod soli legem acceperint, cum transgressores existant ejusdem legis, cujus *plura* opera Gentiles sine exteriori doctrina fecerunt, uti *Pharao* Saram Abrahamæ reddendo intactam, ut audivit esse ejus uxorem b): *Abimelech* omni populo sub pœna capitis præcipiendo, ne quis Rebeccam Isaac conjugem impudice tangeret c). Igitur juxta hunc sensum gentiles fide in Christum carentes *plura* legis opera naturaliter, seu *sponte* faciunt, bona quidem ex officio seu objecto; sed mala ex pravo fine: quia ut notat S. August. *vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur*: d) vel si sunt simpliciter bona, puta ex officio, sine, & circumstantiis, vix illud fit sine gratia Christi; *Non quod per naturam* (hoc est per vocem *naturaliter*) *negata sit gratia*, inquit cit. loc. S. Augustinus, *sed potius per gratiam reparata natura*; ideoque alibi idem S. D. asserit: *etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis* e). Utram igitur harum expositionum assumas, nihil tamen inde superiori exceptioni favens elicies.

§. CXL.

a) In 2. Dist. 26. §. 41. b) Genes. Cap. 12. v. 18. c) Ibid. Cap. 26. v. 11. d) Lib. de spiritu & lit. Cap. 27. e) Loc. cit. contra Julian, Num. 32.



§. CXL. *Exceptio 2)* Ad erroris invidiam Jcto conflandam trahi prudenter nequit, si doctrinam aliquam *publicæ eruditorum disquisitioni* submittendam censeat jam alias a Theologis classicis, probeque catholicis propugnata. At hujusmodi certe est Cl. Jcti nostri doctrina, qua asseritur hominem vires habere sufficientes, quibus legem Dei naturalem puta *quoad substantiam operis* servare, & sine peccato vivere morali potentia possit. Id ipsum enim est, quod jam olim tradiderunt *Scotus a) Durandus b) Toftatus Abulensis c)*, alique, qui hac in parte secuti videntur doctrinam S. Thomæ subinde docentis: hominem, *sine gratia vitare posse omnia mortalia peccata*, consequenter & totam naturæ legem quoad substantiam servare, *licet difficile d)*. Iniquus ergo sit, qui ob eandem doctrinam Cl. Jcto dicam scribere, eique diem dicere nunc primum velit.

Verum plura sunt, quibus exceptionem hanc nullo negotio diluas. Et imprimis quidem falso illa supponit eandem esse Jcti nostri, quam olim Aquinatis doctrinam: cum hic de peccatis *mortalibus* restrictè loquatur; ille vero absolute de omnibus adeoque etiam *venialibus* se loqui innuat, dum generatim ac *indefinite* hominem sine peccato vivere posse contendit. Deinde S. Thomas cit. loc. asserit quidem hominem *vitare posse omnia mortalia peccata*. Sed quum continenter addat, id homini esse *difficile*, nec ullibi asserat hominem vires habere ad vitanda omnia mortalia *sufficientes*; satis innuit se loqui de potentia solum *physica*, non autem de potentia *morali*, propter conjunctam peccata vitandi *difficultatem*, quæ *moralem* inducit *impotentiam*, *moralemque peccandi necessitatem*; quemadmodum jam supra
alium,

a) In 2. Dist. 28. Quæst. 1. b) Ibid. Q. 4. c) In Matth 19. Quæst. 178. & 179. d) In 2. Dist. 28. Q. 1. Art. 1.

alium S. Doctoris locum ex Bellarmino explicavimus (§. LXXXIV). At dum Jctus noster hominem *sine peccato vivere posse* contendit, ex ipso contextu se de *moralis potentia* loqui, adeoque omnem etiam *moralemente peccata vitandi impotentiam* se inficiari demonstrat (§. XCVII). Quod si demum S. Doctor super sententias hac de re obscurius scripsit, aut etiam, si mavis ejusdem fuit subinde cum Cl. Jcto opinionis; postea tamen re diligentius discussa mentem suam aut uberius declaravit, aut sententiam suam tacite retractavit in posterioribus scriptis, quibus pluries expresse contrarium docuit a). Quare si vir Cl. S. Thomam secutus est fors errantem, sequatur etiam ingenue retractantem.

§. CXLI. Vindicata hoc pacto Aquinatis orthodoxia, neminem porro morari debet adducta Theologici illius Triumviratus auctoritas. Imprimis enim sunt, qui existiment, hosce Scholasticos negasse duntaxat necessitatem gratiæ, quæ sit donum aliquod *habituale*, ac *permanens*, præscindendo ab aliis auxiliis: aut explicari fors possent perinde ac S. Thomas de sola *potentia physica*, sed cum *moralis impotentia* conjuncta, nunquam sine auxilio gratiæ in actum redigenda. Sed cum ex illorum obscuro, involuto, implexoque scribendi modo certi quidpiam ea in re statui vix posse videatur; nullo sane proventu præsidium ex illorum doctrina quæritur, quorum alioquin auctoritatem omni exceptione majorem haud esse probatur. Nam *Scotum* quod attinet, ob nimis subtilem argumentandi rationem *Doctoris subtilis* nuncupatione donatum novimus. At si Seneca teste:

nimia

a) *Estius*, qui in 2. Dist. 26. §. 44. S. Doctorem mentem suam retractasse supponit, plura retractationis loca citat, ut Lib. contra Gentes Cap. 160. De veritate Q. 24. Art. 12. 1. 2. Quæst. 63. Art. 2. ad 2. Ac demum ex professo eadem Parte Quæst. 109. Art. 4. & 3.



nimia subtilitas inimica veritati a); quid mirum, si Doctor iste subtilis veritatem non semper acu tetigerit, sed subinde nimia subtilitate in cogitationibus evanuisse aliis doctis ac perspicacibus Theologis visus sit? Quantum ad *Durandum* notoria res est, plura cum nimis dura, atque exotica alias tradidisse, cui propterea a posthumerum aliquo inscriptum Epitaphium:

*Durus durandus jacet hic sub marmore duro:
An sit salvandus? non juro, sed neque curo.*

Tostatus demum plus Aristotelicis scitis, humanæque rationis argumentis confusus rem conficit, Scriptura, ac Traditione, ceu genuinis christianæ Theologiæ, sanæque doctrinæ fontibus aut vix, aut non nisi extimis labris admodum parce delibatis. Non ergo mirum, si ex turbido fonte impuram doctrinam hausserit, cui jam in *Genes. Cap. 17.* commentans prælusit b). Quod si præterea Scholasticorum aliqui Triumvralis illius Magisterii auctoritate præventi, hominem naturæ viribus legem naturalem sine gratia quoad substantiam servare, & sine peccato vivere posse docuerunt; his non immerito accommodari fors posset, quod *Gregorium IX. Pp.*
ad

- a) Epist. 88. b) Defendit nempe l. c. *Abulensis* Antistes, referente *Calmero* in *Diss. de Gentilium salute* Commentariis in *S. Pauli Epistolas* præfixa „ defendit, inquam, Gentiles, quos laudabilis vitæ probitas ornabat, nihilque non expressum ad normam naturalis legis habebant in moribus, prohibitæ suæ merito salutem obtinuisse, quanquam nihil de nostræ Religionis dogmatibus norint. Cum enim illi justitiam ad exitum usque ita voverint, ut nullo mortali crimine tenerentur, cum obirent; in *Abrahæ* sinu post mortem constituti sunt, ubi nullo doloris sensu tangebantur. Taceo pejora, quæ ibidem referuntur. Sed virum doctum Scripturæ & Patribus repugnantia docentem non admittimus, inquit prope finem laud. *Dissertationis idem Calmetus.*



ad Scholasticos Parisienses an. 1227. scripsisse Rainaldus memorat: *Quidam*, inquit Pontifex, *apud vos spiritu vanitatis, ut uter dissenti, positos a Patribus terminos profana transferre satagunt novitate, - - - quos transgredi non solum est temerarium, sed profanum - - - ipsi doctrinis variis, ac peregrinis abducti, redigunt caput in caudam, & ancilla cogunt famulari Reginam videlicet documentis terrenis, cœlestis quod est gratiæ, tribuendo naturæ. Tales autem doctrinæ socios Clarissimo nostro non invidemus: sunt enim, teste Augustino, homines ingrati gratiæ, multum tribuentis inopi, sauciæque naturæ a); qui volentes humanis conjecturis justitiam Dei defendere, & ignorant es altitudinem gratiæ, fabulas improbables texuerunt b).*

§. CXLII Quisquis igitur rectam christianæ de gratia, naturæque viribus doctrinæ sententiam tenere cupit; æquitas profecto, sanaque ratio suadet, illam potius sequi oportere, quam contra paucos illos scholasticos reliqui omnes ejuslibet ævi, probitatis æque, ac eruditionis laude præstantes Theologi, velut a Majoribus traditam, atque ex genuinis Scripturæ ac traditionis fontibus haustam, communi semper calculo, *quantum quidem rei summam attinet*, religiosissime retinendam esse, fidelique mente conservandam, salvo *essentiali rerum ordine* constanter censuerunt.

Dixi: *quantum rei summam attinet*: ut innuerem, esse quandam adhuc in determinanda dogmatis hujus qualitate inter Theologos differentiam, dum plures eorum præsentem doctrinæ articulum ad solos *certaine conclusionis theologicæ* terminos restringunt; alii vero rectius velut certum fidei dogma illum venerantur, oppositamque opi-

nio-

a) Serm. 2. de verbis Apost. b) Lib. de peccat. merit. & remiss. Cap. 22.



nionem, non tantum, ut priores illi, ceu *temerariam*, & *erroneam*; sed etiam velut *hæreticam*, & ad *Pelagianum* errorem referendam esse deernunt. *Manifestum est*, inquit *Estius a)*, ad *hæresim Pelagii spectare sententiam, que nostræ propositioni contradicit, ac subinde ipsam propositionem ad fidem catholicam pertinere*. Et Medina Sotum referens asserit: *non solum damnatum esse adversus Pelagium, quod possimus meritorie implere mandata; sed etiam quod possimus omnia quantum ad substantiam b)*. Supponit ergo uterque etiam posteriorem hunc doctrinæ articulum Pelagianam hæresim continere, consequenter sententiam huic oppositam inter fidei dogmata esse referendam; quorum iudicium plenissime confirmatur omnibus illis argumentis ex SS. Scripturarum, divinæque traditionis auctoritate supra Cap. XI. & XII. summa, qua potuimus, accuratione deductis, quibus uberiorem præsentî themati lucem affudisse confidimus.

CA-



a) In 2. Dist. 26. §. 40. Lit. F. b) Lib. I. de natura & gratia Cap. 22.

CAPUT XV.

Exceptio tertia ex Theologorum circa determinandam dogmatis qualitatem dissensione, & prætensa immediate revelationis incertitudine in ordine ad præsentem doctrinæ articulum a veritatibus fide divina credendis eximendum. Hujus occasione plura, eaque singularia notantur ad rectam fidei veritatum notionem scitu necessaria. Inde arguitur, præsentem doctrinæ articulum ad veritates fide divina credendas non pertinere. Hac occasione plura notantur ad rectam veritatum fidei notionem scitu necessaria. Ostenditur ex Veroniana fidei Catholicæ Regula præsens doctrinæ caput fidei catholicæ veritatibus accensendum esse. Cui nihil præjudicat memorata Theologorum dissensio. Horum potius communis in agnoscenda dogmatis veritate consensus oppositam Jacobi Thesim manifestæ falsitatis convincit, & in censurandis orthodoxæ doctrinæ assertoribus nimiam arguit dictatoriæ auctoritatis licentiam, atque demum palinodiæ canendæ necessitatem imponit.

§. CXLIII. **E**xceptio tertia. Erit fortasse, qui rursus oggerat: haud satis patere, quo merito ad fidei veritates referri præsens doctrina possit; quæ a pluribus Theo-



logis *Suarezium* secutis, non aliter, nisi ut pura *conclusio theologica* consideratur: hæc enim cum *mediata* solum revelatione constet, nunquam in fidei dogma, quod *immediatæ* revelationi divinæ innititur, assurgere valebit. Quid? quod hodie dum celebriores, & academici etiam Theologi præfens doctrinæ caput ultra meritum scholasticæ opinionis haud exporrigant, ut propterea Exim. *Gazzaniga* oppositam Scoti, Durandique sententiam a Pelagio in hoc differre asserat, quod legis naturalis observantiam, quam hi solis naturæ viribus possibilem affirmabant, meritoriam esse vitæ æternæ nunquam docuissent. a) Profecto, si qua doctrinæ huic inesset *immediatæ* revelationis tam perspicua lux; quis hanc *Suarezii*, totque insignium Theologorum effugere aciem potuisse eredit? Non igitur cudenda sunt nova fidei dogmata, nisi de *immediatæ* revelationis existentia certo constet, quæ certitudo aliunde, quam ex sola propositione Ecclesiæ omnibus facta, quæ tamen circa præfens doctrinæ caput hucusque desideratur, plene haberi omnino nequit. Et quamvis ante solemnem Ecclesiæ propositionem *probabilis* haberi possit *notitia* revelationis, hanc tamen neutquam sufficere ad *assensum fidei supernaturalis*, Innocentius XI. oppositam damnans propositionem declaravit.

§. CXLIII. Antequam exceptionem hanc diluamus, operæ pretium fuerit, pro nata occasione, quædam circa hoc thema haud omnibus satis comperta meliori in lumine collocare. Imprimis igitur observandum est, non omnes ejusdem generis esse fidei veritates. I) Sunt harum aliquæ, quæ licet in verbo Dei scripto, vel tradito *immediate* sint revelatæ; non tamen ita satis clare & distincte in verbo Dei revelatæ sunt, ut earum
reve-

a) Prælect. Theolog. Tom. III. Diss. III. Cap. 5. n. 56.
Edit. Vindobon. de anno 1774.

revelatio sufficienter cognosci ab omnibus possit; neque adhuc ab Ecclesia omnibus propositæ sunt tanquam fide divina credendæ. 2) Aliæ ita quidem ab Ecclesia aliquando propositæ sunt, quarum tamen propositio in plurimorum memoria temporis progressu ita oblitterata est, ut, quemadmodum notat *Sylvius a)*, nihil jam de ea sufficienter fidelibus constet; prout accidit certis fidei veritatibus doctrinam de gratia concernentibus. 3) Aliæ demum sunt, quarum propositio *per Ecclesiam in Concilio universali docentem, & expresse desinentem, vel ex sensu omnium tum Pastorum, tum fidelium præctice eloquentem, b)*, omnibus semel facta, omnibus aut plerisque adhuc dum perspecta est, & explorata. Et hæc quidem propositio proprie constituit certum fidei *catholicæ* articulum.

Quamvis autem primi & secundi generis veritates proprie non pertineant ad fidem *catholicam*; sunt tamen fide divina credendæ ab iis, quibus sufficienter constat, eas in scriptura vel traditione contineri, aut aliquando, ut notat *Gerson c)*, cœu fidei veritates ab Ecclesia fuisse propositas; quas tamen, qui credere respueret, secundum *Veronianam* fidei regulam *d)*, in foro Ecclesiæ pro hæretico habendus non esset, neque communionem Ecclesiasticam continuo privandus.

N 2

§. CXLV.

- a) 2. 2. Q. 1. Art. 7. pag. 17. Erat quidem fidei priusquam definiretur ab Ecclesia - - - Ecclesia vel nondum proposuerat illud dogma tanquam fide catholica tenendum, aut si forte proposuerat, e plerorumque memoria exciderat, ut de eo non sufficienter constaret fidelibus. b) Veronius de regula fidei Cathol. Cap. 1. § 1. c) Tom. 1. pag. 25. obligatur aliquis, ut puta Canonista exercitatus in determinationibus S. Ecclesiæ, legendo & considerando eas certa & explicita fide tenere, & nullatenus dubitare multa, de quibus simpliter & idiotæ, imo & Theologus aliquis in casu requisitus rationabiliter, si non pertinaciter dubitaret. d) Veronius l. cit.

§. CXLV. Observandum 2) Definitionem alicujus fidei dogmatis semper præsupponere certitudinem de ejus revelatione; adeoque Ecclesiam non posse aliquid ceu fidei dogma credendum proponere, ac definire, nisi habita prius certa revelationis notitia. Cum enim nunc non fiant novæ revelationes; sequitur, ut notat Gerson a), quod Papa, vel Concilium generale determinando de fide, seclusa revelatione speciali, non faciant aliud, nisi declarare talia esse de fide, adeoque esse certo revelata, cum pœnarum adjectione. Et sane, si de revelatione alicujus veritatis certo constare non posset, ante ejus definitionem, quomodo, quæso, aut quo jure ad eam definiendam procedere Ecclesia posset? aut quomodo aliquis hanc definitionem recipiens contestari eum veritate poterit, se in ea recognoscere fidem & doctrinam Ecclesiæ? Ecclesia igitur dum aliquid ceu fidei dogma definit, duo præstat: 1) quod veritatem fidei, quam prius jam in scriptura vel traditione revelatam esse certo agnoscit, ut talem auctoritative declaret, eamque omnibus reddat notoriam & oppositam hereticam esse denunciet; 2) quod fideles omnes ad veritatem illam fide divina credendam, ita ut nemo ei scienter refragari possit, cum pœnarum adjectione obliget. Itaque certitudinem revelati dogmatis definitio Ecclesiæ per se non facit, sed eam necessario præsupponit. Profecto S. Bernardus non obstante suo in Sedem Apostolicam studio, haud putabat venerationem huic S. Sedi debitam in eo repositam esse ut velut incertas ac problematicas respici debere crederet, quas illa nondum definitivisset, veritates; imo contrarium potius constat ex celebri ejus apud Pontificem interposita protestatione a Gaufrido Abbate relata b).

§. CXLVI.

a) Tom. 2. pag. 346. Vide etiam Gersoniana pag. 88. de auctoritate Traditionis in rebus fidei b) Memorat Gaufridus

§. CXLVI. Observandum 3) duplex dari genus articulorum fidei. Aliqui sunt ut tales publice, & notorie in Ecclesia recogniti. Alii vero, quamvis jam alias traditi, & accurate decisi, processu tamen temporis suam amiserunt, si ita loqui licet, *notorietatem*, atque in eum statum denuo reciderunt, in quo ante decisionem fuerant. Enim vero Ecclesia decidendo non facit novos fidei articulos; sed reddit eos solum notorios, quo fit, ut quamdiu ita notorii subsistunt, negare eos nemo possit, quin fidem lædat, & fiat hæreticus. Sed quemadmodum hæreticus non est, qui aliquem fidei articulum

N 3

negat,

fridus Abb. Clareval. de Gilberto Porret. Epist. apud S. Bernardum pag. 1322. S. Bernardum, postquam in Conventu Rhemeni quosdam articulos doctrinæ *Gilberti Porretani* Pictaviensis Episcopi oppositos cum cæteris Episcopis & Doctoribus adornasset, hanc suo & reliquorum nomine apud Pontificem & Cardinales declarationem interposuisset: *Ille (Gilbertus) vobis sub hoc tenore tradidit suam Confessionem, ut paratus esset & corrigere, siquid vobis aliud videretur: nos hujusmodi conditionem penitus excludentes, sic vobis nostram offerimus, ut noveritis, quod in hoc sumus, in hoc perseverabimus, nihil penitus mutaturi.* Hac autem declaratione minime offensus Pontifex, articulos illos approbando confirmavit. Protestatio huic non absimilis occurrit in Synodo Lateranens. sub Martino I. Sess. 2da, quam Abbates & Monachos græcos apud Synodi Patres interposuisse retulimus (§. XXVII) in Dissert. Historica de hæresi Monothel. *Vindictiæ Concil. Occum. VI.* præfixa. Ubi vides nec Abbates illos cum Monachis, nec S. Bernardum cum cæteris Episcopis & Doctoribus congregatis Pontificias in fide definitiones, sive in Collegio Cardinalium, sive in particulari Synodo Romana factas, omnino infallibiles existinasse, sed tamen eos de certitudine revelatæ veritatis plenissime fuisse persuasos. Observandum vero hujusmodi protestationes locum habere non posse contra definitiones Concilii Oecumenici propter earum infallibilitatem a Christo Ecclesiæ universali promissam, vi cuius fieri nequit, ut Ecclesia doctrinam aliquam seu revelatum fidei dogma definiat, quod revelatum non sit.



negat, antequam per decisionem Ecclesiæ notorius factus est; ita hæreticus ille non est, qui negat fidei articulum jam alias quidem ab Ecclesia decisum, cujus tamen decisio postea esse notoria desuit.

Hujus generis sunt plures veritates *de gratia*. Sunt enim illæ articuli fidei, cum sint veritates in scriptura & traditione fundatæ & revelatæ; sed non erant veritates fidei *notoriæ* antequam ab Ecclesia deciderentur, nec consequenter erant hæretici, qui errorem his veritatibus oppositum docuerunt; sicut nec hæretici sunt, qui has veritates negant, ex quo per ignorantiam aut oblivionem notoriæ esse desierunt. Subsistere proinde potest submissio erga Ecclesiam cum errore his veritatibus opposito, sive quia Ecclesiæ decisio eas nondum reddidit notorias; sive quia jam earum decisio, aut fidelibus facta propositio emergentibus novis erroribus multum obscurata est, atque cumprimis apud vulgus Catholicorum sua noforeitate excidit. Et hæc quidem observatio servare debet plurimis casibus in hac materia solvendis: secus enim nemo fere esset, quem non ceu hæreticum respicere oporteret, sicque vix ullus amplius esset in Ecclesia Catholicus. a)

§. CXLVII. Ex hæctenus dictis observandum 4) multiplex discrimen, quod inter revelatum fidei articulum, & illius definitionem aut propositionem intercedit. 1) Articulus revelatus omni tempore in Ecclesia subsistit; definitio vero post longioris temporis lapsum subsequi, & iterum, ut supra agebat Sylvius, *e plerorumque memoria excidere potest*. 2) Articulus revelatus interire in

a) Vide de his: Instruction Pastorale de Monseigneur l' Eveque de Senes, sur l' Autorite infallible de l' Eglise, & sur les caracteres de ses Jugemens dogmatiques. an. 1728.

in Ecclesia nunquam potest; contra vero acta & decreta definitionis interire posse, imo plura interiisse patet ex Papæ Zozimi de gratia Decreto, aliisque Conciliorum actis. 3) Articulus fidei talis indolis esse potest, ut ejus cognitionem distinctam omnes fideles habere teneantur; uti v. g. est dogma de divinitate Christi; dum contra necesse non est, ut fidelium vulgus distincte cognoscat, dogma istud in Synodo Nicæna fuisse definitum, sed sufficit, si ejus notitia habeatur *ex manifesto omnium fidelium sensu*, aut ex perspicua S. Scripturæ doctrina, qua sola ratione circa dogma de verbi consubstantialitate diu edoctum fuisse constat S. Hilarium: nam ipsemet fatetur, quod *regeneratus pridem, & in Episcopatu aliquantisper manens fidem Nicænam nunquam nisi exulaturus audiverit a*). 4) Demum articulus fidei sola immediata revelatione divina constat; at ejus propositio ab Ecclesia fieri variis modis potest. Primo *indirecte*, dum scripturam cum omnibus ac singulis in ea *perspicue* contentis credendam proponit (§. CXX.) Secundo *practice*, dum videlicet Ecclesia ex sensu omnium tum pastorum, tum fidelium velut *practice* loquitur (§. CXLIV.) Tertio *expresse & juridice*, quoties nempe in Concilio universali *expresse* aliquid definit, & cum adjectione pœnarum (§. CXLV.) credendum proponit. Duobus prioribus modis dogmatum propositio solum fiebat primis tribus Ecclesiæ sæculis usque ad primum Nicænum generale Concilium. Inde vero successit tertius propositionis modus tanquam ultimum remedium terminandis fidei controversiis, errantibusque in officio continendis, nec non ad frangendam hæreticorum pervicaciam subinde necessarium. *) Et hos tres proponendi modos complectitur

N 4

jam

a) Lib. de Synod. n. 91. pag. 1203.

*) Dixi: *subinde necessarium*: Nam ad damnandas hæreses, decidendasque fidei controversias extremum illud remedium



jam laudata *Veroniana* Catholicæ fidei regula a). Omnis igitur fidei articulus uno ex his tribus modo propositus fidei *catholica* articulus est.

§. CXLVIII.

dium absolute necessarium non est; sed sufficit sapius Pastorum Ecclesiæ iudicium, prout docet S. Augustinus L. 4. ad Bonifacium Cap. 12. ubi Pelagianorum ad generale Concilium provocantium audaciam ita perstringit: *Aut vero Congregatione Synodi opus erat, ut aperta perniciēs damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodali Congregatione damnata sit; cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis existeret; multoque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi existerunt, illic improbari, damnarique meruerunt: atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia - - hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cum potius vigilantia, & diligentia Pastoralis, post factum illis comperens, sufficiensque iudicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur, atque mutantur, sive ut ab aliorum salute atque integritate videntur.*

- a) Francis. Veronius in sua regula fidei cathol. ab omnibus Sorbonæ Doctoribus in plena Congregatione Facult. Theol. adprobata, ab universo Clero Gallic. in generalibus Comitibus an. 1645. recepta, atque ab illustriss. Episcopis de Vallembourg adoptata, & ad calcem Tom. II. de controversiis fidei impressa; ubi laud. Auctor Cap. I §. I. ita dixerit: *Illud omne & solum est de fide catholica, quod est revelatum in verbo Dei, & propositum omnibus ab Ecclesia cathol. fide divina credendum. Neque refert, an illa propositio emanet a Concilio aliquo universali, ex ejus decreto, & definitione; an ex sensu fidelium omnium. Complectitur hæc regula verbum Dei: nam fides ex auditu, audiens autem per verbum Christi. Complectitur & Ecclesiam docentem in Concilio - - universali expresse aliquid desinentem; vel ex sensu omnium rum Pastorum, rum fidelium velut præctice eloquentem - - Consentiant omnes Synodi, Patres, Theologi in hac regula statuenda.*

Ubi

§. CXLVIII. Inde jam præ manibus habes, quo oppositam exceptionem nullo negotio diluas. Enim vero ex prævie observatis facile colligitur: 1) Falsum esse, sufficientem de immediata revelationis existentia certitudinem haberi non posse, nisi post solemnem Ecclesiæ definitionem. Nam efficit quidem Ecclesiæ definitio certitudinem revelati dogmatis universalem, atque notoriam, quatenus de eo certiores reddit etiam eos, quibus antea nondum erat compertum. Sed absolutam revelationis certitudinem Ecclesia semper supponit, sine qua ad definitionem fide divina credendi dogmatis procedere ne quidem potest; uti patet ex Epistola Gregorii XV. ad Regem Hispaniæ, cui definitionem sententiæ de immaculata Conceptione B. V. instantius urgenti Pontifex rescripsit, se postulatis ejus deferre non posse; *cum nondum æterna sapientia Ecclesiæ suæ tanti mysterii penetrabilia patefecerit.* Inde colligitur 2) Ecclesiam revelationis certitudini innixam dogma præsens de insufficientia virium naturalium ad omnia peccata per legis naturalis observationem potentia morali devitanda omnibus credendum proposuisse, non solum *indirecte* per S. Scripturam pro credendorum regula propositam (§. CXX.); sed etiam *præctice, & auctoritative* quoad utrumque dogmatis articulum per Pastores, seu Episcopos Ecclesiarum particularium, ac præcipue Romanos Pontifices, illorum de hoc doctrinæ capite contra Pelagianos sancita approbantes (§. CXXIII.): atque demum etiam *juridice* in Concilio Tridentino, quod memoratum dogma quantum ad priorem ejus partem de impotentia vitandi omnia peccata terminis *expressis*; quoad alteram vero partem, nempe de impotentia servandi legem naturalem, verbis formaliter quoad sensum æquivalentibus definiit (§.

Ubi demum ad finem addit: *Atque hæc satis de regula fidei, & secretionem ex ea, doctrinæ fidei catholicæ a Scholastica, quibusvis opinionibus, & popularibus erroribus.*



(§. CXXIII.) Ex quo manifeste sequitur, dogma istud iis accensendum esse articulis, qui fide divina *catholica* credendi sunt. Colligitur rursus 3) ex diffensione Theologorum circa præsentis doctrinæ *qualitatem* an nempe *immediata*, aut tantum *mediata* revelatione constet, atque adeo an velut *fidei articulus*, an vero ceu mera *conclusio theologica* hæc doctrina respicienda sit? nihil aliud evinci posse, atque probari, quam quod Ecclesiæ propositio relate ad hunc fidei articulum respectu quorundam *notoria* esse desierit; idque vel ob neglectum Scripturæ, Traditionis, & antiquitatis ecclesiasticæ studium: *) vel quod ea, quæ in alio explicite revela-

to

*) Incredibile dictu, quantum hujus studii neglectus in fidei, morumque doctrina detrimenti attulerit, quamque lubricus sit, facilisque lapsus, nisi cognoscendis Veterum dogmatibus debita attentio adferatur, & circumspectio. Exemplo nobis esse potest supra in Exceptione laudatus *Suarezius*, quo de ita Eminentiss *Perronius*: ut Gallica ejus latine reddidit vir celebris, multisque concertationibus clarus *Jacobus Hyacinthus Serry*: *Suarez in factis, & dogmatibus antiquis, mortalium omnium ignorantissimus est.* Tumque de quodam ejus libro sibi oblato loquens: *innumera, inquit, testimonia in tento digito designavi, adeo inepte, stolide, & ignoranter ab illo exzoria, atque etiam omnino falsata. Hunc acutissimum Doctorum omnium Metaphysicum haberi dixit P. Cœffezus: cui respondi, sit ita: sæpius tamen puris, putidisque sop ismatibus evanescit. Suarez Scholasticorum omnium pessime de divina Eucharistia scripsit* Hucusque *Perroniana*: „quibus ab Auctore aliqua forte admixta fuisse epithesis posset. Nostrum exæteroquin non interponimus judicium: nec quicquam per hoc detractum *Suarezio* volumus, quem colimus hæctenus, & colimus tanquam eximium inter cæteros Scholasticos Theologum. Ideo solum hæc memoranda putavimus; ut providus quisque ac prudens statuere valeat; quam a levitate, nimiaque credulitate remorus debeat Theologus esse: quidve in aliis inferioris notæ Scriptoribus timendum forte

videri

to *implicite & obscure* quoad nos, sed tamen *immediate* revelata, ideoque fide divina credenda sunt, ab iis, quæ *mediate* tantum revelata sunt, & vel ideo objectum fidei esse non possunt, discernere haud satis noverint, ac ita utraque infcite confunderint; vel quod denique defectu notitiæ historiciæ plena, & adæquata Pelagianæ hæresis notione caruerint, nec satis exploratam habuerint ejus indolem (§. CII.); sed præcipue (§. CXXXVIII.); a nobis expositam.

§. CXLIX. Neque dicas: ex hac ipsa Theologorum dissensione circa modum credendi dogma præfens hoc saltem consequi, illud non esse fide divina *catholica* credendum. Ait enim loc. cit. *Veronius* in celeberrima, quam laudavimus, *fidei catholiciæ Regula*: „sæpius Theologi inter se, *an hoc vel illud sit fide divina credendum?* istis affirmantibus, illis negantibus, digladiantur. Quo ipso consentiunt omnes, illi etiam, qui fide divina illud esse credendum dicunt, *non esse fide divina catholica credendum, nec proinde hæreticos, & ab altari, seu Ecclesiæ communionem amovendos, qui talia fide credere respuerent.*” Verum responsio in promptu est, *Veronium* nempe loqui de controversiis inter Theologos obortis circa tale dog-

III.

videri queat: si talis ac tanti habitus vir, talis tantique Cardinalis effugere in omnibus reprehensionem non potuerit. „ Est hæc ad omnium cautelam commendanda admonitio eruditi *Benedictini Placidi Stürmer*, quam ad calcem Præfationis secundæ subjecit, dum cruditam lucubrationem suam *de Myserio SS. Trinitatis in Unitate collaro* secundis curis recognitam, multisque accessionibus auctam an. 1773. typis Venetis edidisset. Hæc autem non alio consilio hic adnotanda duxi, quam ne hujus Theologi auctoritas cuiquam fraudi sit, neve placitis ejus falces continuo submitendas quis existimet. Prorsus enim a me alienum est, ut Doctori huic Eximio
— — — — — *derrahere ausim*
Hærentem capiti multa cum laude coronam.



ma, quod nullo ex prædictis modo, neque *præctice*, neque *juridice* & *auctoritative* unquam propositum ab Ecclesia fuit; aut si reapse aliquando fuisset propositum, hujus tamen propositio e plerorumque memoria ita excidit, ut de dogmate taliter proposito non jam sufficienter constare fidelibus possit. At non esse hujus generis dogma, de quo in præsentiarum agitur, ex proxime dictis liquet; hujus enim propositionem semel ab Ecclesiæ Pastoribus *præctice* non minus, quam *auctoritative* factam, fideles etiamnum *præctice* agnoscunt, ipsoque facto profitentur per supplicationes, precesque publicas ab Ecclesia, ut vidimus (§. CXXIV. — CXXV.) præscriptas, & nemini incopertas: ac proinde locum hic obtinet illud Cœlestini Pp. ad Episcopos Galliæ scribentis: *legem credendi, lex statuit supplicandi*. Unde & Patres Synodi Carthag. de an. 416. postquam anathema dixissent doctenti: *humanam naturam sibi sufficere posse ad evitandum peccatum, & præcepta Dei adimplenda*; hanc continenter rationem addunt: *cum sit inimicus gratiæ, quam Sanctorum preces evidenter demonstrant*.

§. CL. Ceterum non obstante illa Theologorum circa præfatum revelationis modum dissensione, istud tamen postremo verissimum nihilominus esse consequitur, Theologos omnes in agnoscenda ac profitenda dogmatis veritate adeo concordēs esse, atque constantes, ut doctrinam huic oppositam, qua hominem per solas naturæ vires legem Dei *quoad substantiam* servare, & sine peccato vivere posse asseritur, alii tanquam *ad Pelagii heresim pertinentem*, & in *Pelagio damnatam*; alii vero saltem velut *temerariam*, & quæ gravissima est post *heresim* censura, ceu *erroneam* pronunciare minime dubitaverint (CXLII). Quamobrem cujuslibet lectoris æqui amantioris judicio definiendum relinquimus, quid de singulari illa Catholici JCti Thesi statuendum sit, quam Verbo Dei

Dei scripto & tradito, uti ostendimus, repugnante, SS. Patribus, & Conciliis refragantibus, communi sensu fidelium, concordique Theologorum catholicorum consensu adversante, tanta præfidentia, ac libertate palam obtrudere, propugnandamque suspicere ausus est, ut oppositum statuentes, velut *Juris naturalis inficiatores*, nec non *essentialis rerum ordinis inversores* traducere, Ascetarumque Principi *erroris* invidiam propterea conflare (§. XXI), a sæculis inaudita inter catholicos dictatoriæ auctoritatis usurpatione, atque licentia veritus minime fit.

Quum igitur judice S. Bernardo : *inter amicos contra veritatem nulla debeat esse meticulosa, cum sit perniciofa, palpatio a* : haud proinde indignabitur Vir Clarissimus, quod SS. Patrum instituta secutus (§. VI.), ad pleniorẽ in discrimen adductæ catholicæ veritatis tutelam vigiliis meis conferre quidpiam hucusque conatus sim. Qua in re, si suscepti muneris partes a me impletas probe perspexerit ; jam, non monente me, impositam sibi palinodiæ canendæ necessitatem promptus agnoscet ; si tamen, ut sperare licet, pium doctiss. *Combesifisi* votum (§. VII.), pari religione sibi quoque imitandum putaverit ; simul autem sequendum duxerit S. Hieronymi consilium : *Non erubescas de commutatione sententiæ : non enim es tantæ auctoritatis, ut te errasse pudeat b*). Quid enim gloriosus, inquit S. Augustinus, *quam subijci, & vinci a veritate ? Superet te veritas volentem ; nam & invitum ipsa superabit c*). Sed ut volentem ipsa superet, S. Cypriano hortante : *Orandus est Deus, ut non pertinaciter nostra amemus ; sed quæ aliquando a fratribus, & collegis nostris utiliter, & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus : d*) nam S. Augu-

a) Epist. 35. b) Lib. 1. adver. Rufin. C. 2. c) In Psal. 57. d) Epist. 71. ad Quintom.



Augustino rursus monente a): *veritas in pace catholica pacifico studio nobis est requirenda, paratis corrigi, si frazerne & recte reprehendimur. Quid? quod secundum propriam Cl. Jcti doctrinam: Veritas a quocunque prolata opus sit Spiritus sancti. Quicumque igitur contradicit agnitæ veritati, resistit Spiritui sancto, contrahit impedimentum respiscendi, & iram Dei in se provocat b).*

CA-



a) L. 1. de Trinit. C. 9. n. 12. b) Positione ult. de nexu & discrimine juris divini agendorum, cum jure credendorum pag. 52.

CAPUT XVI.

*Evertitur demum exceptio singularis ex per-
vulgato, sed a pluribus male intellecto
axiomate theologico: facienti, quod est
in se, Deus non denegat gratiam. Hu-
jus abusus pro adstruenda quorundam
infidelium salute, etiam apud Scriptores
catholicos hodie nimis invalescens. Cui
viam sternit Cl. J. Cti doctrina. Sicut
& falsa, atque ab Ecclesia rejecta quo-
rundam Scholasticorum; nunc vero apud
Scriptores Protestanticos nimis praevalens
sententia de naturali quadam, & infe-
rioris ordinis beatitudine parvulis sine
baptismo decedentibus, & nonnullis etiam
infidelibus adultis reservata. Refellitur
erroneus praedicti axiomatis sensus. Nec
non recens adinventum Christum inter
& Patrem in ita legis pacticiae commen-
tum. Cui minime favent SS. Chryso-
stomus, & Augustinus. SS. Thomas, &
Franciscus de Sales a Leibnitzio, & Mar-
montelio in erroris patrocinium perperam
vocati vindicantur.*

§. CLI. **S**ingularem discussionis locum sibi vindicat
quam perniciofa, tam hodie nimium invalescenti cuidam
errori propitia exceptio, quam hunc ferre in modum
adornari posse video. Axioma theologicum est in com-
muni sensu, imo & in SS. Chrysofomi, Augustini, &
Aqui-



Aquinatis auctoritate fundatum: *facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Docet enim imprimis S. Chrysoſtomus de Patriarcha Abraham: *Et vero iſtud ipſum, quod Patriarcha, qui ante gratiæ tempus, & ante legem fuit, a ſe ipſo, & a ſcientia, quæ naturæ inſita eſt, in tantum pervenit virtutis faſtigium, ſufficit, ut omnes noſtras excuſationes reſutet.* At forte dicent aliqui, quod vir ille multam a Deo gratiam conſecutus ſit - - - ? fateor ita eſſe & ego. Verum niſi & ipſe, quod ſuum erat, feciſſet, non tanta a Domino obtinuiffet. - - - Vidiffis, quomodo ab initio, quæ a ſe ipſo erant, attulerit, & propterea divina quotidie ubertim ſuſceperit a). Et rurfus de Patriarcha Noë: *Quandoquidem, inquit, quæ ſua erant, omnia contulit, eorum etiam, quæ a Deo ſunt, abunde potitus eſt b).*

Discimus deinde ex S. Auguſtino: *Dediſſe Deum hominibus quædam bona huic vite congrua, - - - eo pacto æquiſſimo, ut qui mortalis talibus donis (naturalibus) fuerit recte uſus, accipiat ampliora, atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem c):* & rurfus: *Salutem ſolius religionis, per quam ſolam veram ſalus vera promittitur, nulli unquam deſuiſſe, qui dignus fuit, puta per rectum uſum naturalium donorum, & cui deſuit, dignum non fuiſſe d).*

Cæteris demum luculentius S. Thomas: *Gratiam,* inquit, *quamvis ex libero arbitrio homo non poſſit acquirere; poteſt tamen ſe ad gratiam habendam præparare faciendo ſc. quod eſt in ſe, ſeu ductum rationis ſequendo, prout ſe ipſum explicat ſequentibus verbis: Ad providentiam divinam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim ali-*
quis

a) Hom. 42. in Genef. b) Hom. 26. in Genef. c) L. 19. de Civit. C. 13. d) Ep. 102. alias 49, ad Deoſgratias Quæſt. 2.

quis in silvis, vel inter bruta animalia nutritus ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali; certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium a). Porro is tantummodo in appetitu boni, & fuga mali ductum rationis naturalis sequi, consequenter facere, quod est in se, censendus est, qui solis naturæ viribus omne peccatum per observationem legis naturalis reapse & effective devitat. Vi-res ergo in homine ad hoc devitandum moraliter sufficientes, & expeditas supponit axioma illud theologicum, Chryso-stomi, & Augustini primum, dehinc & Aquinatis auctoritate consecratum; atque demum, teste Leonardo Lessio, plus quam trium sæculorum decursu in scholæ rum exedris a Doctoribus, & a sacris Curionibus ex ambone publico traditum, ac divulgatum b).

§ CLII. Ante responsonem observabit Lector, axioma illud a veteribus, de faciente quod est in se *viribus gratiæ* intellectum; a recentioribus quibusdam scholasticis ad facientem quod est in se *viribus naturæ* perperam fuisse adplicatum, idque eo potissimum consilio, ne infideles quoslibet, eosque cumprimis, qui vitam ad honestatis naturalis regulas compositam egisse, virtutibusque civilibus inclarnisse visi sunt, puta *Fabricios, Regulos, Fabios, Scipiones*, aliosque plures, e Regno cælorum continuo exturbare, atque ad Tartara detrudere cogamur. Incredibile dictu, quantum error iste apud non paucos ævi etiam nostri Scriptores jam invaluerit, quem palam,

O

&

a) Quæst. 14. de verit. Art. II. ad 1. & Quæst. 24. Art. 1. ad 2. & in 2. Dist. 28. Quæst. 1. ad 4. b) De gratiæ effie. C. 10. & in Append.



& passim scriptis suis venditare non erubuerunt non solum homines a Sacris catholicis alieni a); sed & in si-

III

- a) Hos inter præcipue commemorandus D. Godefridus Lesh Göttingensis D. & Theol. Professor, ejus verba damus ex opusculo an. 1779. Göttingæ theotisco sermone edito, cui titulus: Auferstehungsgeschichte Jesu nach allen vier Evangelisten. Ita vero pag. 349. mentem suam aperit Scriptor Protestanticus: „Christus spricht also in der Stelle (Mark. 16. v. 16.) keineswegs allen Nichtchristen die Seeligkeit ab; denn er redet von Widerspenstigen. Vielmehr lehret er sonst das gerade Gegentheil davon, und giebt uns die entzückende Hoffnung, daß wir dereinst auch viele tausend der redlichen Juden, Nachometaner, und Heiden im Himmel antreffen werden „ — At ubinam „ quæso, Göttingensis Doctor aliquando legit spem Regni Cælorum Christum fecisse Judæis atque paganis promulgato jam Evangelio fide Christi Mediatoris destitutis? An non potius oppositum docuerunt Petrus Judæorum primum, & Paulus Gentium Apostolus? ille quidem act. 4. hic vero ad Galat. 2. ubi neminem ex naturæ, & legis operibus, gratiam & fidem Christi præcedentibus, justificari aperte asserit, atque concludit: *si per legem justitia; ergo gratis Christus mortuus est.* Deinde Cap. 5. spem iustitiæ expectandam ait *spiritu ex fide per dilectionem operante*, sine qua opera hominis sive præputiati, sive recutiti, id est, sive Judæi, sive Gentilis *nil valere* affirmat; imo Rom. 3. v. 9. &c. omnes tam Judæos, quam Græcos, seu Gentiles peccatis obnoxios se ostendisse asserit, nempe Epist. ad Galat. prius scripta, ubi Cap. 3. v. 21. mentem suam de necessitate fidei in Christum clare expressit: *Si, inquit, data est lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia* v. 22. *sed conclusit Scriptura omnia* (omnes nationes) *sub peccato, ut promissio* (benedictionis Abrahæ facta de consequenda justitia,) *ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Denique v. 26. *omnes filios Dei esse docet per fidem, quæ est in Christo Jesu.* His si addas testimonium Joannis Cap. 17. v. 3.; evidens erit, omni tempore necessariam fuisse aliquam fidem in Christum in ordine ad consequendam gratiam, justitiam, & vitam æternam; consequenter & ad obtinendum Regnum Cælorum.

nu Ecclesie catholice enutriti a). Quoties non ipse cum viris profana quidem eruditione utcumque tinctis, sed rerum theologiarum minus gnaris de hocce argumento verba faciens, eodem eos errore preventos, atque etiam obstinatius ei inhærentes deprehendi? Hujus aberrationis specimen nuperos quoque Pragenses Concio-

O 2

nato-

lorum. Atqui vero nulla prorsus fides in Christum, ne *implicita* quidem, locum habere, imo nec concipi potest sive in *Gentibus*, quibus prædicatio Christi *stultitia*, sive in *Judæis*, quibus illa teste Apostolo, *scandalum est*, sive demum in *Mahumedanis*, qui quidem Christo ut puro homini honorem Prophetæ tribuunt, sed *Mediorem Dei, & hominum esse* negant. Qua igitur fronte cum tot millibus Turcarum, & Judæorum, qui Christo refractarii sunt, eumque, & ab eo institutum gratiæ fœdus aspernantur, societatem in Regno Cælorum se habiturum sperat, gaudetque Doctor evangelicus? Melius profecto mentem Pauli assæcutus est D. *Thomas Stackhouse* in sua *Mora christiana* edita an. 1772. — 73. a D. *Friderico Eberhardo Rambachio*, evangelicæ Ecclesiæ, & Scholarum in Silesia, & Wratislaviæ Inspectore. En! Stackhousei verba Part. I, pag. 307: Alle diejenige nun, die von dem Heiland, und Gnadenbunde entwedder nichts wissen, oder ihn verachten, sind freylich in einem höchst erbärmlichen, und betrübten Zustande, denn sie sind, und bleiben vor Gott nichts anders, als Uebertreter des Gesetzes, und haben nach Pauli Ausdruck, nichts anderes zu erwarten, als ein schreckliches Warten des Feuereifers, der die Widerwertigen verzehren wird. — —

- a) *Calmet* in *Diff. de salute Gentilium Commentariis* in S. Pauli Epistolas præfixa illis accenset *Catharinum, Testatum, & Erasinum*, qui admiratione Socratis abreptus dixisse fertur: *Parum abest, ut dicam: sancte Socrates ora pro me*. Mirum sane! apotheosi dignum æstimari potuisse hominem, quem *Lactantius* de *falsa Sap.* Lib. 3. Cap. 19. ob Religionis cavillationem velut *furræ* traducit. Aliud profecto iudicium de Socrate tullisset *Erasinus*, si cum traditis ab eo morum regulis vitæ rationem, vivendi



natorum Mastiges in prima quidem inconsultæ suæ scrip-
tionis plagula dedisse vidimus, Leibnitianis a) & Mar-
montelianis b) ut apparet, principiis præoccupatos, at-
que delusos; sed illico a viris magis emunctæ naris egre-
gie pro merito castigatos, & saniora sapere doctos.

§. CLIII.

dique licentiam serio contulisset, quam ex profanis Scri-
ptoribus atris coloribus depictam exhibet idem Calme-
tus. Sed Erasmo pejus adhuc deliravit auctor Libri *de*
salute Aristotelis, qui hunc Ethnicum Philosophum S.
Joanni Baptistæ pene cœquare non erubuit. Præter
Cardinalem *Sfondrari* in Nedo prædest. celebris *Ja-*
cobus Payva de Andrada in explicationibus orthodoxis
— Cap. 1. Philosophis Paganis, qui Deum cognoscere,
& colere, quantum in se erat, conati sunt, salutem de-
negare, vocat *immanitatem, qua deterior esse nulla possit.*
Denique prætermisissis aliis pluribus, novissime P. *Gravi-*
na in sua *dissertatione anagoga, rheologica, parænetica,*
de Paradiso Panormi an. 1762. edita pag. 689. illius
sententiæ defensorem se profitetur, quæ *Ethnicos, Mu-*
hamedanos, Hereticos, Schismaticos, Hebræos turmatim
salutem assequi sempiternam docet; non obstante, quod
Franc. Fitzjames in celebri sua Pastoralis Instr. de anno
1760. P. 2. Sec. 5. C. 3. *Harduinum, & Berruyerum*
multorum hæc de re errorum reos damnaverit. Mul-
tus essem, eorum si nomina proferre vellem, qui immo-
dicis laudibus Ethnicorum Philosophorum virtutes ex-
tulerunt, & Christianis æquarunt; qui in antiquis Chi-
nensibus Religionis, & Ethicæ puritatem prædicarunt;
qui demum tot, tantaque absurda circa opera, ac salu-
tem Indorum, aliorumque populorum infidelium effati-
re non dubitarunt.

- a) *Leibnitius* Theodicæ P. I. §. 95. axioma illud: *facien-*
ti, quod est in se, non denegatur gratia necessaria, seu
æternæ veritatis effatum laudat, illudque SS. Thomæ, &
Franc. Salelli auctoritate firmatum supponit. b) Vid.
Marmontelium in suo *Belisario* Tom. 4. C. 15. p. 346.
Sed consulenda hic est *Universit. Parisinæ theologia* in
Beli-

§. CLIII. Sed consideranti facile patet pestiferum errorem illum ex hac ipsa, quam supra jam refutavimus, Cl. Jcti doctrina, seu corrupto Pelagianæ scaturiginis rivulo necessario profluere. Si enim *naturæ humanæ vires naturales inesse* ponas *juri naturali servando moraliter sufficientes*; ita ut sola harum ope *totam legem Dei servare, & sine peccato vivere homo possit*, potentia nempe *moralis cum actu conjuncta* (§. XCVII); sumere ergo tuto licebit, fuisse olim, esseque defacto homines infideles, qui licet de Christo nihil unquam audierint, aut de Evangelii veritate haud plene fuerint convicti; vitam tamen duxerint, ducantque etiamnum a transgressione legis naturalis, & quod perinde est, ab omni peccato immunem, & consequenter omnibus moralium virtutum officiis commendatam. Hi autem cum ex una partium puniri a Deo nequeant, a quo non puniuntur nisi fontes, seu legis suæ prævaricatores; siquidem ex S. Augustino: *non potest (Deus) quemquam sine malis meritis damnare: quia justus est a)*; cumque ex partium altera hujusmodi virtutum naturalium operibus supernaturale præmium beatificæ Dei visionis respondere omnino non possit: idcirco medius quidam locus ponendus erit inter damnationem æternam, regnumque cælorum, quem plures Scholasticorum commenti sunt

O. 3

pro

Belisarium censura de fidei explicitæ in Jesum Christum necessitate de an. 1767. & Instr. Pastor. Archiepiscopi Paris. 1768. sed præcipue de hoc argumento commendandus est *Arnaldi Liber inscriptus: de la nécessité de la Foi en J. C.* qui liber vulgatus est a Dupino contra opus *de la vertu de Payens de M. de la Motte le Vayer.* Auctores præcipui, qui in hoc themate versati sunt, videri possunt apud Jo. Alb. Fabricium in *Syllabo Scriptorum, qui veritatem Religionis christianæ* — — — *asseruerunt* Append. 1. ad Cap. 50.

a) Lib. 3, contra Julian. C. 18.



pro parvulis sine Baptismo decedentibus, quos frui dicunt beatitudine quadam naturali sua forte contentos a). Cur enim ea beatitudo, quæ conceditur parvulis nihil boni malive per ætatem facere valentibus, deneganda sit
adul-

- a) Ita præpostero novitatum amore fasciatus *Catharinus, Pighius*, aliique contendebant, parvulos cum originali peccato decedentes post iudicium universale habitaturos super faciem terræ tanquam in paradiso terrestri, plenos sapientia, & moralibus virtutibus, identidemque Angelorum consortio fruituros. Quæ exotica opinio, quanto magis ad Pelagianam, ut videbimus, hæresim accedit, communique Patrum, & Catholicorum sensui repugnat: si quidem docente S. Anselmo de Conceptu Virginali C. 22. *Post diem iudicii nullus futurus est Angelus, aut homo, nisi aut in Regno Dei, aut in inferno; quia teste S. Augustino Serm. 14. de verbis Apostoli, in Evangelio præter dexteram, & sinistram, nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes; tanto majori admiratione dignum, fuisse nihilominus plures Theologos, qui medium locum pro infantibus inducerent, & inter hos Cardinalem Sfondrati, qui in Libro, cui titulus: Nodus prædestinationis dissolutus, illorum parvulorum sine baptismo decedentium sortem nostræ præferendam definire non exhorruit. Licet enim, inquit ille, ad caelestem gloriam (Deus) eos non admiserit, alio tamen, multoque majori beneficio affecit, quod illi ipsi pueri longe cælo prætulissent, & nos quoque, si electio daretur, multo majoris pretii, quam cælum duceremus. Id vero beneficium fuit, quod fato præmature abreptos innocentia sua personalis securos reddidit. Quid ergo conqueri de Deo possunt, . . . si non quidem cælo, sed alio beneficio donavit, quod multo præstantius cælo est. Sed ut S. Augustinus Serm. 143. de tempore apposite monet: Ista sunt, fratres mei, magna magnorum deliramenta Doctorum: hæc enim si vera sint, æquus lector iudicet, an maximi beneficii loco habenda sit Christi redemptio? Utinam ceu verum persuaderi omnibus posset, quod Cl. Bachini memorati Cardinalis Biographus asserit: omnia illa, quæ in præfato libro notantur paradoxa, non fuisse legitimos illius Purpurati partus. Habent præterea non
bapti-*

adultis infidelibus, qui de Christo nihil audierunt; vitam tamen ducere supponuntur virtutum moralium exercitatione conspicuam, legibus naturalibus conformem, scelerisque puram? Nihil profecto apparet, quod horum beatitudini obsit præter peccatum originis. At si istud

O 4

nihil

baptizati infantes hodieum non paucos apud Protestantes advocatos, qui eos a damnatione eximant, quos inter commemorandus proxime nominatus Göttingensis Professor Lessus, qui loc. cit. ita prosequitur: Unchristlich nicht allein, sondern auch gotteslästerlich wäre es, den ungetauften Kindern die Seligkeit absprechen wollen, um so mehr, da Christus nicht sagt, wer nicht getauft wird, sondern wer widerspänstig ungläubig ist, der wird verdammt werden. Quibus vir iste satis innuit, si Christus dixisset: qui baptizatus non fuerit, condemnabitur; infantes non baptizatos a damnatione ne antiquam fore eximendos. Atqui tamen Christus Joan. 3. v. 5. aperte dicit Nicodemum affatus, quod Patres omnes, & Tridentinum de baptismo intelligunt: *Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto* (quod utique idem est, ac dicere: qui baptizatus non fuerit) *non potest introire in Regnum Dei.* Igitur infantes non baptizati hac Christi sententia excludantur a Regno Dei: nullum enim hic excipit, non infantem, non aliqua necessitate præventum, inquit S. Ambrosius L. 2. de Abraham Cap. ult. Quo ergo ibunt miseri? Audiatur Apostolus ad Rom. 5. v. 18. *Per unius delictum in omnes homines, in condemnationem.* Viderit jam Göttingensis Theologus, qua ratione Apostolum, a blasphemie censura absolvat, qua fors Trid. Synodum spectabat Sess. 5. Can. 4. definientem: *In parvulis originale peccatum regenerationis lavacro necesse esse expiari, ad vitam æternam consequendam.* Sed jam olim rectissime monuerat S. August. L. 1. de peccat. meritis C. 23. *Nulla - - ex nostro arbitrio præter Baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda.* Quam prudentiæ regulam, sicut laudato Professore, ejusque discipulis impense commendamus; ita & eos, quibus Catharini, aliorumque de terrestri parvulo.



nihil obflare sumitur parvulis; multo minus obflare poterit infidelibus *negativis* vitam suam ad naturalis honestatis regulas, legisque divinæ normam componentibus. Hanc quidem consecutionem legitimam esse nonnullis visum est, idque etiam palam asserere, atque docere non erubuerunt a).

§. CLIV.

vulorum paradiso commenta arripient, cum eodem S. Doctore Sermone proxime citato admonemus: *Qui inducis medium, recede de medio . . . sed noli in sinistram. Si ergo dextera erit, & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus; . . . qui in dextera non est, in sinistra est. . . .*

- a) Peccatum originale non obflare, quo minus quandam inferioris gradus beatitudinem consequantur infideles, seu Nonchristiani virtutibus moralibus conspicui, error est apud hodiernos Protestantes civitate donatus, prout ex obvijs eorum scriptis dispicimus. Hujus novissime specimen dedit D. *Zollikofer* Lipsiensis reformatæ Communitatis Præco percelebris in homiletico suo opere: *Predigten über die Würde des Menschen* — Man sehe hieon das Ende der 13. Predigt S. 327. der neuen Auflage vom J. 1784. Ubi inter damnationem, & beatitudinem Christianis destinatam, aliam inferioris ordinis beatitudinem pro non Christianis, virtutis laude inclarescentibus parum certe evangelice comminiscitur Præco hic evangelicus. En ejus verba: das (Ziel, und die Absichten der christlichen Tugend) verspricht dem Christen auch in dieser, und in der künftigen Welt weit größere Seligkeit, als jedem andern weisen, und tugendhaften Menschen. Jeder Grad der Tugend machet uns eines gewissen Grades von Glückseligkeit fähig; darum schliessen wir, eben so wenig als Gott, irgend einen guten Menschen von alier Seligkeit aus. Aber die christliche Tugend, die ist der Weg, der uns zur reinsten höchsten Glückseligkeit führet. — O! betriff ihn, diesen Weg, Mensch, der du das Glück hast ein Christ zu heissen! dir darf es nicht blos darum zu thun seyn, dem ewigen Verderben zu entrinnen, oder nach dem

§. CLIV. Quoniam vero hypothefim hanc, qua parte inter damnationem, & Regnum caelorum medium quietis, ac felicitatis locum constituit pro animabus cum solo peccato originali decedentibus, ab Ecclesiae doctrina a) alienam; imo ad Pelagianam heresim ab Augustino relata b), atque teste eodem S. Doctore, Conciliorum, Sedisque Apostolicae auctoritate damnatam c), alii probe

dem Tode in einen nicht ganz unseligen Zustand versetzt zu werden. Willst du in der That ein Christ seyn, die die Vorzüge des Christenthums wirklich zu Nuzze machen; so mußt du edler denken, nach grösseren Dingen streben, dich über alle deine Brüder, die nicht Christen sind zu erheben, dich zu höherer Seligkeit empör zu schwingen suchen, damit du dereinst, noch mehr als hier, Anführer, Lehrer, Wohlthäter, Helfer deiner weniger vollkommenen, und weniger seligen Brüder seyn — mögest. Sed paradoxa hæc jam supra in Notis ad (§. CLII.) breviter refutavimus. Hujus erroris incommoda, malasque sequelas vid. apud Petrum Tamburini in supra (§. II.) laudata Dissert. Cap. 13. n. 7. pag. 163. edit. Vindobon.

- a) Concil. Florent. Sess. ult. ubi statuit: *illorum animas, qui cum actuali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendas.* b) Lib. I. de origine animæ Cap. 9. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem Regnumque caelorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet medium locum: hoc enim est heresis Pelagiana.* c) Lib. 2. de orig. animæ Cap. 12. *Novellos, inquit, hereticos Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum (nempe Diospolitani, Carthagenensis, & Milevitani, quorum ibi meminit) & Sedis Apostolica damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, & salutis locum, etiam præter Regnum caelorum. Et Lib. de peccat. meritis Cap. 16. cum scripserit: Possè rectè dici parvulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros; mox addit: nihil autem fallit, & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, judicium ex uno delicto in omnes in condemnationem,*



probe ceruerent: capropter ne infideles illos *negativos*, quos vitam inculpatam, legisque naturalis præceptis conformem duxisse assumunt, a Regno ~~caelorum~~ continuo excludere cogerentur; eo tandem delapsi sunt, ut dicerent: 1) *Faciendi quod est in se per naturæ vires, Deum non denegare gratiam.* 2) *Id obtinuisse nobis Christum ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater æternus statuerunt, hanc fuisse, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus id, ut oportet ad salutem, efficeremus.* Ne vero idem cum Semipelagianis sentire viderentur, addiderunt: *non quidem quasi eo conatu dignus quis efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promereatur; sed ut ea ratione, dum essemus in vita, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra* a) Arripit postea hæc sententia non paucis, eique novas explanationes addiderunt, dixeruntque: 1) *Per axioma illud Theologicum significari obligationem, quam Deus habet dandi gratiam facienti - - - quod in se est viribus naturæ.* 2) *- - - Obligationem hanc non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito - - - . Sed ex pacto inter Christum fideiussorem nostrum, & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita, respiciendo ea opera naturalia, ut purum terminum, non ut meruum ullum, aut rigorosam conditionem.* Verum hæc duæ propositiones ad Comitia Cleri Gallicani anno 1700. delatæ hanc minime propitiâ retulere censuram: Hæc duæ propositiones, qua parte causam discernendi inter justos & non justos in opera mere naturalia referunt, Semipelagianismum instaurant mutatis tantum vocibus. Pactum autem, quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura, & SS. Patrum traditione prolatum.

§. CLV.

a) Molina Lib. de Concord. Q. 14. Art. 13. Disp. 2. & 10.

§. CLV. Modicam vero attentionem adferenti patebit æquissimam omnino esse hanc Cleri Gallic. censuram. Nam vel naturalis ille conatus facientis quod est in se viribus naturæ foret *dispositio* ad gratiam, vel esset *conditio sine qua non*, ex pacto Dei Patris cum Christo inito. Atqui vero utrumque manifeste falsum est. Prioris falsitas ex eo patet, quod inter opus naturale, & gratiam supernaturalem nulla plane sit proportio, ac proinde Synodus Arausie. II. contra Semipelagianos habita Can. 6. merito eum damnat tanquam resistentem Apostolo dicenti: *quid habes, quod non accepisti? & gratia Dei sum id, quod sum, qui sine gratia Dei desiderantibus, conantibus, laborantibus, petentibus, querentibus, pulsantibus, aut quidquam tale facientibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem, ut hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per inspirationem S. Spiritus in nobis fieri consuetur.* Unde & Can. 7. his conformiter decernit: *si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem vitæ æternæ pertinet, cogitare, ut expedit, vel eligere posse affirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti; hæretico fallitur spiritu.*

Sed & alterum non minus falsum esse convincitur; nam conditio illa, sive *rigorosam*, sive *minus rigorosam* dicas, eo ipso, quod ex *prævio pacto* orta dicatur, esset tamen *titulus onerosus*, contra naturam gratiæ, & puræ misericordiæ, qua Deus peccatorem ad pœnitentiam vocat: posita enim huiusmodi conditione per solas liberi arbitrii vires, Deus teneretur suas partes implere, id est gratiam conferre. Inde autem sequeretur dari ex parte hominis causam, qua Deus determinaretur ad gratiam huic potius, quam alteri conferendam, sicque Semipelagianismus instauraretur *mutatis tantum vocibus*, prout recte monuit Clerus Gallicanus. Igitur juxta doctrinam catholicam, quam SS. *Augustinus, Prosper,*



& Hilarius contra hosce hæreticos propugnabant, causa, cur unus præ alio eligatur? Non est ex homine naturæ viribus faciente, quod in se est, sed ex sola Dei misericordia, dicente Apostolo: *quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?* a) item: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* b). Quæ verba expendens S. Augustinus; restat, inquit, *ut id propterea dictum intelligatur - - - ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem præparat adjuvando, & adjuvat præparatam* c). Et alibi rursus ait: *certum est nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum - - - certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati* d); demum S. Prosper Carmine de ingratia, de gratia ita modulatur e):

*Hæc ut cujusquam studio affectuque petatur,
Ipsa agit, & cunctis dux est venientibus ad se,
Perque ipsam nisi curratur non itur ad ipsam;*

§. CLVI.

- a) 1. Cor. 4. b) Rom. 9. c) Enchirid. Cap. 30. d) Lib. de grat. & liber. arbitr. Cap. 16. e) Cap. 25.
- *) Opportune hic observat *Flabertus*, Semipelagianos neuti- quam quæsisisse prævium aliquod in homine *meritum*, sed *causam* duntaxat, cur Deus e duobus sive infantibus, sive adultis æque indignis alterum eligeret, & alterum rejiceret? In hac autem dispensatione acceptio personarum ipsis videbatur injusta, nisi aliqua subesset causa, in parvulis nempe prævisus rectus gratiæ usus, si ad ætatem adultam pervenirent; in adultis vero initialis quidam voluntatis conatus, quibus Deus determinaretur ad gratiam, illis conferendam spretis aliis, qui eandem gratiam, vel collatam neglecturi essent, vel paratam non expectarent. Quod autem prævia illa voluntatis affectio, naturalisque conatus non haberet apud Semipelagianos rationem alicujus meriti; patet ex Epistola S. Hilarii referentis ad S. Augustinum, eos solitos dicere: *egrum nan ideo mereri sanitatem, quia opem medici postulavit.*



§. CLVI. Inde jam patet mala fides adversariorum tres celebriores Ecclesiæ Doctores in erroris sui communionem perperam attrahere conantium. Nam quod imprimis S. Chryostomum attinet, prorsus a mente ejus alienum esse, quem ei affingunt sensum, vel ex ejusdem Homiliæ, ad quam provocant, contextu, intelligi facile poterat: *Nos, inquit ibidem os aureum, nos quidquid boni habemus, ex prævenientis, vocantis, & semper incipientis gratiæ benignitate habemus, nullumque est in nobis meritum, quod non sit donum Dei. Cujus quidem tanta est bonitas, ut velit esse nostra merita, quæ sunt ipsius dona. Rursus Homil. de Adam & Eva, vult, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratiæ omnium hominum merita provenire, per quam etiam sit, ut aliqui boni & velle incipiamus, & facere. Similia passim occurrunt in Homiliis in Epistolas S. Pauli, uti Hom. 14. in Epist. ad Rom. ubi usque adeo hominem infirmum, & ex se nihil esse affirmat, ut etiam ad orandum, ut oportet, Dei ope egeat. Homil. 12. in 1. ad Corinth. Nihil, ait, ex te habes, sed a Deo accepisti. - - Ergo cum acceperis, habes, non hoc vel illud, sed omnia, quæ habes: non enim hæc omnia tua recte facta sunt, sed ex Dei gratiæ proveniunt. Denique Homil. 12. in Epist. ad Ebr.: etiamsi, inquit, curras, etiamsi studium adhibeas, ne tuum existimes, si recte gestum est. Nisi enim cælesti auxilio potiaris, omnia frustra sunt. Hæc, & plura id genus alia, quæ Norisus ejusdem S. Doctoris vindex Hist. Pel. L. 2. collegit, luculentissima doctrinæ fragmenta abunde sufficere putem, ut quisque intelligat, ea, quæ ex adverso producta sunt, sine præjudicio prævenientis & excitantis gratiæ accipi oportere; atque adeo Abraham, primum quod suum erat, fecisse: Noë, quæ sua erant contrahisse; subintellige: gratiæ excitante inspiratos. Osten-*

dere



dere enim exemplo Abrahæ volebat S. Pater, Deum gratiæ suæ argumenta conferre, si primæ gratiæ coopereremur: Nam *cur multam gratiam* (id est augmentum gratiæ) fuerit consecutus? rationem reddens respondet: *quia primum, quod suum erat, fecit.* Profecto autem *multa gratia*, seu augmentum gratiæ non confertur, nisi gratia præcessisset; fecit ergo, quod suum erat gratia prævie excitatus. Quare merito idem S. D. Hom. 27. in Cap. 3. Gen. concludit: *Itaque sive precemur, - - - sive aliud spirituale quoddam opus faciamus, hoc facimus bona mente incitati.* Mirum proinde non est fuisse olim, aut hodieum esse, qui in supra corraſis S. Chryſoſtomi fragmentis a reliquo orationis filo reſectis ſui erroris præſidium invenerint: quippe qui neglecto Gelafiano interpretandi Canone (ſ. XIV.), *falſos interpretes ſequi maluerunt*, quorum, teſte S. Cypriano L. de Unit. Eccl., propria hæc indoles eſt, *ut extrema ponant, & ſuperiora prætereant, partis memores, partem ſubdole comprimentes.*

Minus ingenue rem egerunt, qui S. Auguſtinum ſibi aſciſcere conati ſunt. Nam priorem ejus textum, certum eſt, adeo eorum cauſæ non favere, ut P. *Valentia* in *Congregat. de Auxiliis*, niſi per fraudulentam depravationem, nempe voci *ſcilicet*, ſurrogando particulam &, aliter effugere ſe poſſe deſperaverit: proptereaque minaci vultu, geſtu, ac voce a Pontifice præſente exceptus, potenti adeo vertigine correptus fit, protinus ut in terram corruerit. Qua de re vide *Auguſt. Le Blanc* a) & P. *Lemos* b). Igitur S. Doctor conformiter ad proxime dicta de iis ſolum loqui cenſendus eſt, qui ex gratiæ adiutorio, non autem ex ſolis naturæ viribus bene utuntur naturalibus bonis, quibus proinde
Deus

a) Hiſt. Congregatio. de auxiliis divinæ gratiæ Lib. 3. Cap. 5. b) Hiſt. de divinis auxiliis .Diſp. 9. pag. 178. & ſeq.

Deus ex pacto æquissimo retributurus est ampliora, & meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam, & honorem in vita æterna ad fruendum Deo. Hanc interpretationem conformem esse menti S. Doctoris, P. Lemos, qui Valentia depravationem detexit, ex Capite sequenti 14. ejusdem libri de Civit. ostendit, hæc ejus verba in medium proferendo: *Sed ne ipso studio cognitionis propter humanæ mentis infirmitatem, in pestem alicujus erroris (homo) incurrat, opus habet magisterio divino, cui certus obtemperet, & adjutorio, ut libere obtemperet.* „Ecce manifeste subiciebat P. Lemos, ut bene utatur temporalibus bonis, prout expedit ad salutem, & ne propter infirmitatem illis utatur contra salutem animæ, opus habet magisterio, & adjutorio divino. Et sic bene utenti temporalibus ex divinæ gratiæ adjutorio, dantur meliora bona, scilicet immortalitatis pax.,

Alter S. Doctoris locus aut malevole aut imperite prorsus ab adversariis allegatur, cum Augustinum sui interpretem esse aut dissimulent, aut ignorent: quippe qui in suis Retractionum libris dictorum sensum clare exposuit dicens: *quod dixi: salus religionis hujus &c. non ita dixi, tanquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit.* a) Et alibi rursus *si discutatur, inquit, & queratur, unde quis sit dignus? Non desunt, qui dicant voluntas humana — nos autem dicimus, gratia, vel prædestinatio divina* b). Nec immerito. Nam tametsi peccatis homo efficiatur gratia indignus; non tamen recte infertur bona opera naturalia illum reddere gratia dignum; sed solum præstant, ut eo titulo non sit indignus, quod verum est. At non desunt aliæ rationes, ob quas est indignus, cum non sit immunis ab omni peccato. *)

CLVII.

a) Lib. 2. Retract. Cap. 31. b) De præd. SS. Cap. 10.

*) Neque dicas concedi saltem posse, quod naturalis hominis conatus, si sit ex totis viribus, habeat rationem re-



§. CLVII. Quod attinet S. Thomam; fatendum omnino est: eum initio junioris ætatis nonnulla tradidisse, quæ cum recto illius axiomatis sensu vix concilianda pluri-

*moventis prohibens: siquidem Apostolus ipse testatur, se ideo misericordiam consecutum, quia ignorans peccavit in incredulitate blasphemando & persequendo Ecclesiam Dei 1. Tim. 1. v. 13. Igitur bona opera naturalia conferre aliquid possunt ad gratiam, & justificationem consequendam. Verum prorsus negandum est antecedens: quia Deus etiam iniquissimos aliquando efficaciter vocat, uti patet exemplo Pauli, Matthæi, Latronis, & Magdalenz peccatricis. Qua de re vid. August. Lib. 1. ad Simplic. & Lib. 1. de peccat. meritis C. 22. Item Prosper Lib. 1. de vocat. Gentium, Cap. 17. & passim in Lib. contra Collatorem. Ex quo patet, peccata absolute non prohibere opus gratiæ. Unde Apostolus ante conversionem suam dignus magis erat pœna, quam misericordia; sed propter ignorantiam tantam pœnam non merebatur, quantum fuisset meritus, si in Spiritum sanctum blasphemasset, hoc est, si ex malitia, ut quidam Phariseorum, peccasset. Ex quo duntaxat sequitur, quod fuerit minus, quam illi misericordia indignus, minoremque illis pœnam fuerit promeritus eo fere modo, quo de Fabricio scribit S. Augustinus Lib. de Spirit. & Lit. Cap. 28. eum videlicet mitius quam *Caecilium* fore puniendum: *non quod ille bonus, sed quod iste magis malus, & minus impius, quam Caecilia Fabricius, non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando.**

Recte igitur observavit *Hesselius*, criticus judice *Tillemontio* non admodum severus, Scriptorem antiquum Actorum SS. Eustachii, seu potius Eustathii, uxoris, & filiorum martyrum, quæ a Bollandistis reimpressa exstant Tom. 6. Sept. in fidem offendisse catholicam: quia contra fidem catholicam dicit, quod cum adoraret idola, & demonibus seruiret, plenus erat cunctis virtutibus, & quod dignus erat vocari a Deo, & quod timebat Deum, & acceptus esset illi, & quod elemosynæ ejus commemorata essent in conspectu Dei, & quod esset alter *Cornelius intertario*. Conatur equidem ista in meliorem partem interpretari

pluribus visa sunt, quod quidem impræsentiarum discutere nimis operosum foret; imo ad præsens institutum profus inutile. Nobis satis esse debet ostendere S. Do-

P

ctorem,

pretari Exim. *Lumper* Monachus Benedictinus in *Historia Theologico-Critica* novissime edita, ubi pag. 442. ait: — Hæc crudius asserta, si ad rigorem theologicum exigantur, adstruere videntur meritum in operibus moralibus hominis ethnici. At similia etiam sine periculo conniveri solent Biographis, maxime si ante hæreses, in quas incaute impingere videntur, scripserint eorumque dicta mitiori sensu possint accipi. Sane cum auctor Eustathii opera cum Cornelii Centurionis operibus compareret, videtur jam tum *fidem in Deum* agnovisse in Eustathio, utut exteriori forte adhuc idolorum cultui indulgenti. Hoc sensu, quem alia insuper nonnulla insinuasre videntur, si anonymi dicta accipiantur, erunt utcumque tolerabilia. — Ita laud. Benedictinus. Hæc an excusando anonymo sufficiant propterea, quod *fidem in Deum agnovisse* in Eustathio videatur? alii judicent. Nos hac occasione id solum observamus, jam olim Julianum apud S. Augustinum Lib. 2. operis imperfecti Cap. 188. affirmasse: *Incarvatio Christi justitiæ fuit forma non prima, sed maxima: quia & antequam Verbum caro fieret, ex ea fide, quæ in Deum erat, & in Prophetis, & in multis aliis Sanctis fulsere virtutes. Cui respondens Augustinus: agnoscimus, inquit, hæresim vestram: desinivit enim Pelagius, quod non ex fide incarnationis Christi antiqui vixerint justi, quia videlicet nondum in carne venerat Christus; cum profecto id futurum non prænuntiasent, nisi priores utique credidissent. Sed in hanc absurditatem cecidistis, dum defenditis esse potuisse per naturam, legemque justitiæ: utrumlibet autem si verum est, ergo gratis Christus mortuus est. Vide de hoc argumento Notam ad (§. CLII.) lit. a) Equidem juxta Apost. ad Rom. 1. v. 20. primus ad Deum accessus habetur per fidem in Deum supernaturaliter infusam, quam solam tamen ad justificationem non sufficere, sed præterea requiri fidem in Christum Mediatorem idem Apostolus Gal. 2. apertissime docet: non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.*



ctorem, si quæ aliter aut obscurius olim scripsisse visus est, postea re maturius expensa clarius explicasse, aut retractasse, idque etiam multo ante, quam adornandæ summæ manum admovisset.

Patet id ex Commentario Epist. ad Rom. a). ubi expresse ait: *Hoc ipsum, quod aliqui faciunt, quod est in se, convertendo se scilicet ad Deum: ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum, secundum illud Thren. 5. Convertite nos Domine ad te, & convertemur.* In summa vero postquam b) data opera demonstrasset: non posse hominem se præparare ad gratiam, quin præsupponatur aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum; sibi met hoc ipsum axioma objicit, idque hoc modo solvit: *Nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Joan. 15. sine me nihil potestis facere; & ideo cum dicitur homo facere, quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo.* Unde nota S. Doctorem in tota Summa nusquam absolute, & expresse sic loqui, ut dicat Deum facienti, quod in se est, dare gratiam; sed tantummodo, qua ratione ac sensu axioma illud intelligi oporteat, explanare. Demum etiam istud observandum monet Lemosus in *Panoplia gratiæ* c) ubicunque S. Doctor axioma illud usurpat semper eum agere de præparatione ad

sti, moxque addit: Et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Jesu Christi, & non ex operibus legis; operibus, inquam, fidem Christi præcedentibus, ut loc. cit. diximus. Sed de hoc argumento fusius agere cum non sit præsentis instituti: eapropter Lectorem ad Theologos remittimus quæstionem hanc de necessitate fidei in Christum in ordine ad justificationem, & salutem obtinendam uberius tractantes.

a) Lect. 3. in Cap. 10. b) 1. 2. Quæst. 109. Art. 6.
c) Lib. 4. P. 1. Tr 5. act, Cap. 23. &c.

ad gratiam *sanctificantem*, quæ profecto nemini datur, nisi facienti, quod in se est, puta, nisi debitæ dispositiones præcesserint. At certe dici sine absurdo nequit S. Doctorem in hac aliquando sententia fuisse, ut putaverit posse quemquam ex solis liberi arbitrii viribus se ad gratiam *justificantem* disponere, ac præparare, quod prorsus Pelagianum est, & ab eò plurimis locis data opera refutatum.

§. CLVIII. Atque hinc jam manifestus redditur sensus dictorum S. Doctoris. Quare ad priorem locum respondendum, eum ibidem loqui de præparatione ad gratiam *habitualement*, seu *justificantem*, quæ præparatio non excludat auxilium gratiæ actualis, sed illud necessario supponat; prout id ipsum aliis sexcentis locis inculcat, ac præcipue Quodlib. 1. Art. 7. ad 1. ubi ait: *Per hoc, quod hominis est se ad gratiam præparare per liberum arbitrium, non excluditur necessitas auxilii divini.* Imo ibidem ostendit: *ad errorem Pelagianum pertinere, quod homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio gratiæ.* Quid? Quod in eadem Quæst. 14. de veritate, ex qua prior textus depromptus est, Art. 10. ad 1. & 2. Et Quæst. 24. Art. ult. expresse neget, hominem sine auxilio gratiæ Dei facere quod in se est, ita ut per hoc dici possit præparatus ad gratiam.

Quod porro secundo loco profertur *de homine in silvis nutrito, ductumque rationis sequente*; lucem accipit ex proxime dictis, quæ convincunt S. Doctorem ibi locutum esse sine præjudicio auxilii divini gratiæ; alioquin enim sequeretur, in eadem Quæstione eum sibi contradixisse. Præterea hunc sensum magis declarat exemplum Cornælii, quo ibi S. Thomas utitur, ut præbet, Deum non defuturum homini in silvis enutrito, si faciat, quod in se est: nam 2. 2. Quæst. 10. Art. 4. ad 3.



agnoscit, quod verissimum est, eundem Cornelium non sine implicita aliqua fide, adeoque non sine Dei auxilio orasse & eleemosynas erogasse; *alioquin ejus oratio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere.* — — *Unde, ut in fide plenius instrueretur, missum esse ad eum Petrum.* Quod quidem Doctor angelicus habuisse videtur ex S. Augustino L. de prædest. SS. C. 7. & Prospero in Epist. ad Rufinum *)


*) Qui plura cupit adeat Eximium *Gazzanigam* de gratia Christi Diss. 2. Cap. 5. num. 110. & seq. ubi doctrinam S. Thomæ circa præsens argumentum fufus exponit, & a pravis interpretationibus vindicat.

Inde jam patet Cl. Leibnitzium mentem *Aquinatis*, quem ex Quæst. 14. de Veritate Art. II. ad 1. loco supra in Nota ad §. CLII. citato in rem suam allegat, minime esse affectum. Quod ipsum quoque dicendum de auctoritate SS. *Xaverii*, & *Salesii*, quos ibidem suos facit, perinde si & ipsis hæc opinio infedisset: *Deum haud denegare gratiam necessariam, lumine rationis naturalis recte utentibus.* Ad hoc probandum provocat Leibnitzius ad Lib. 4. Cap. 5. *De amore Dei*, ubi S. Franciscus de Sales refert: *quæstos olim Japones apud S. Franciscum Xaverium Apostolum suum, quod Deus tam sollicitus fuerit de salute aliarum nationum, suis prædecessoribus oblivioni traditis, dum iis impertitus non est sui notitiam, cujus defectu illi perpetuæ damnationi essent addicti: quibus vir Dei respondit: legem divinam naturaliter plantatam esse in omnium hominum mente, qui ratione utuntur, quam si eorum antecessores observassent, dubio procul fidei splendore illuminati fuissent; dum autem eam violarunt, se sempiternæ damnationis reos effecerunt.* His relatis mox subdit: *Responsum certe hoc est Apostolicum, dignum homine Apostolico, & simile rationi, quam Apostolus dat de perditione antiquorum gentium, quos dicit esse inexcusabiles.* Simile responsum refert, & laudat idem Salesius in Nucleo Christianæ moralis §. 35. *De gratia Dei.*

• Sed si posteriora verba probe pensentur, clare patebit responsum illud Xaverianum velut apostolicum, & tanquam

quam responso Paulino simile præcise laudari, qua parte violationem legis naturalis ceu rationem sufficientem adfert, cur Japonensium Progenitores *inexcusabiles* sint, quod æternæ damnationi reos se effecerint; uti patet ex adductis ibidem Pauli verbis ex Epist. ad Rom. Cap. I. v. 22.

Quod vero priorem responsi partem attinet a Salesio haud improbatam, qua scilicet asseritur Japonensium Majores *lumine fidei indubie fuisse imbuendos, si legem naturalem observassent*; id procul dubio intellexerit Vir sanctus sine præjudicio auxilii divinæ gratiæ ad observationem legis naturalis necessariæ prolatum; quod quidem sub initium citati Capituli haud obscure innuit, ubi respiciens doctrinam Concilii Tridentini Sess. 6. Cap. II. asserentis: *Deus jubendo monet & facere, quod possis, & perere, quod non possis, & adjuvat, ut possis*; ita profequitur: *gratia divina nunquam deest iis, qui, quod possunt, faciunt, divinum invocantes auxilium*. Secus enim, si hanc Xaveriani responsi partem cum exclusione gratiæ ad sensum Leibnitzii prolatam Salesius existimasset, eam profecto aperte improbare haud dissimulasset ceu Apostolicæ doctrinæ contrariam (§. CLV.) (§. CLX.), quam Virum sanctum in Apostoli scriptis apprimè verisimilem ignorasse neutiquam supponendum.





CAPUT XVII.

Ex acerbioribus, Sedis Apostolicæ silentio probatis, celebriorum Theologorum censuris adversus invalescentem præfati axiomatis abusum, exploditur insignis impudentia Leonardi Lessii, spurium illius sensum Ecclesiæ universæ arrogantis. Ex quo catholicum dogma gratiæ gratuita in discrimen adduci; nec non gratiam Dei naturæ operibus præveniri, & secundum ea certissime dispensari necessario consequitur; id quod pridem Ecclesia in Semi-pelagianis damnavit. Opportunæ quædam Regulæ pro Patribus, qui ante ortam Pelagii hæresim liberius locuti sunt, ab erroris circa gratiam imputatione secure vindicandis, recteque intelligendis accommodatæ. Diluitur argumentum ex Ecclesiæ silentio circa quæstionem facti dogmatici petatum. S. Augustini auctoritas in quæstionibus de gratia pro regula decisionum ab Ecclesia commendata.

§. CLIX. **Q**uæ cum ita sint: quis non detestetur extreme præfidentem Leonardi Lessii præsumptionem, nedum impudentiam, qui veritus non est: oppositam opinionem adeo falsam, atque a mente S. Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, ut vidimus, adeo alienam, universæ Ecclesiæ arrogare, quasi plusquam 300. annis nihil aliud Doctores tradiderint, Parochi prædicaverint, fideles

fideles audierint, nisi Deum ex certa lege suam dare gratiam facientibus, quod est in se per vires naturæ. At hujus inconsideratissimæ prætensionis falsitas affatim liquet ex doctrina celeberrimorum quovis sæculo Theologorum antiquæ Patrum doctrinæ tenacium, qui vulgatum illud axioma in sano, quem diximus, sensu non solum tuiti sunt; sed & oppositam aliorum opinionem acerbioribus censuris perstrinxerunt: hæc enim *Vasquezio* vita est non posse ab errore *Massiliensium* liberari: hanc *Pelagianam* & in Ecclesia inauditam assererat *Suarez*: *Estius* quoque contendit eam pertinere ad errorem *Pelagii*: Similiter *Bellarminus* absolute pronunciat: esse hæresim *Pelagianam*: *Martinez* eam dicit temerariam, & erroneam: *Crabrera* affirmat esse temerariam, & *Pelagianam*, vel non procul distare ab errore *Massiliensium*. Denique ut alios præteream, *Zumel* illam opinionem ait esse falsam, temerariam, contra fidem & rem detestabilem a juvenibus introductam: *) & quod probe notandum, Apostolica Sede hujusmodi censuras nec ignorantè, nec improbante.

P. 4

§. CLX.

*) Plura de hoc argumento vide apud *Estium* in 2. Dist. 26. §. 34. 35. ubi catholicum de hoc themate sensum determinat, solideque demonstrat; & §. 36. viginti objectionibus plane satisfacit. Porro ex magno illo calculo Scholasticorum, quos ibidem §. 34. *Estius*, alique recensent, oppositæ sententiæ suffragantium, præcipuos vindicare conatus est *Thomas de Lemos* loco paulo ante citato Cap. 23. 26. Demum haud prætermittendum, quod laud. *Estius* ad calcem §. 34. recte observat: ab errore excusari non posse, qui cum *Dominico Soto*, *Melchiorre Cano*, & *Francisco de Victoria* docuerunt: attritionem, quæ sola cum Sacramento sufficiat ad obtinendam gratiam justificationis, haberi posse ex solis naturæ viribus. Quam opinionem a *Medina* ibi citato solide refutatam asserit, atque ex ea errorem consequi ostendit ad *Pelagii* hæresim pertinentem, nempe sine gratis hominem



§. CLX. Neque effugies, si dicas: hujusmodi privatas Theologorum censuras nequiquam probare, opinionem, quam ita perstringunt, *certum errorem* continere contra catholicam de gratia doctrinam; cum Ecclesia nihil adhuc circa præsentem controversiam solemnè iudicio determinaverit. Enim vero illa *facti dogmatici questio*: an propositiones (§. CLIV.) memoratæ sensum catholicum ferant, atque a Cleri Gallicani Censura immunes sint? jam pridem teste *Haberto*, ad Sedem Apostolicam delata est; quin ullum hucusque ea de re decretum comparuerit, quod tamen fieri oportuisset, si propositiones illæ certum errorem contra fidem complecterentur: siquidem, ut S. Augustinus Epist. 55. ait: *quæ sunt contra fidem, & bonam vitam Ecclesia nec probat, nec facit, nec tacet.*

Verum respondeo, etiam Augustinus loc. cit. præmiserat: *Ecclesia Dei inter paleam multaque zizania constituta, multa tolerat*, quid ergo mirum, si subinde justis de causis, & ex prudenti œconomia ejusmodi errorum zizania non statim evellat? Unde Clerus Gallicanus in laudatis Comitibus merito hanc propositionem damnavit, qua asserbatur: *non esse erroneas opiniones, quas Ecclesia non corrigit.* Sunt igitur, uti rectè observat *Illustriss. Bossuet*, duo veritatum genera, quæ distinguere oporteat, quarum aliæ sunt expresse ab Ecclesia definitæ; aliæ non definitæ quidem, sed tamen arctissimo nexu cum illis conjunctæ. Veritatis enim doctrina longissimo principiorum vinculo deducitur, quorum alia aliis sese propius

minem se præparare posse ad gratiam. At his non obstantibus non defuerunt sequiori ævo quidam laxioris moralis Theologi, qui docere haud veriti sunt: *probabile esse sufficere attritionem naturalem modo honestam.* Sed hanc propositionem Sedes Apostolica merito rejectit, estque ordine 57. inter damnatas ab Innocentio XI.

pius contingunt, alia aliis remotius. Hinc ut illa de-
 trimentum capiat, satis est, ut aliquis velut annulus dis-
 rumpatur, cui licet proxime non cohæreat catholicæ
 doctrinæ articulus; alia tamen principia connexa sunt,
 quæ si infrumentur, etiam Christianæ doctrinæ articulo
 ruinam minantur, quod quidem in re præfenti accidere
 supra (§. CLV.) demonstravimus, nempe ex adverfa-
 riorum Systemate in discrimen adduci dogma catholi-
 cum gratiæ *gratuitæ* seu *indebitæ*, prout id ipsum S.
 Prosper contra Collatorem Coll. 6. recte arguit: *quo-*
modo autem, inquit, non advertis te in illud damnatum in-
cidere: gratiam secundum merita nostra dari, cum aliquid
præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gra-
tiam consequantur, affirmas? Quod quidem multò lucu-
 lentius e novello illo systemate consequi patet ex evan-
 gelica parabola de patrefamilias operarios conducente
 pacto denarii diurni, quod debitum fuisse constat ex iis
 verbis: *tolle, quod tuum est.* Docet autem Apostolus Ro-
 manos: *ei, qui operatur, merces non imputatur secundum*
debitum. Et rursus: *si gratia, jam non ex operibus; alio-*
quin gratia jam non est gratia. Ergo si gratia tribuitur
 naturalibus operibus etiam ex liberali lege pactitia; im-
 putatur secundum debitum, non solum Christo, cum quo
 Pater pactum inivisse, aut legem cum *oneroso titulo* con-
 junctam statuisse sumitur; sed etiam operibus facientis
 quod est in se naturæ viribus. Nihil vero hujus syste-
 matis Patronos juvat contendere opera illa, seu natura-
 les liberi arbitrii conatus non habere rationem *meriti*
 ad gratiam promerendam: hoc ipsum enim olim etiam
 Semipelagianos obtendisse constat, (§. CLV. *) quin
 propterea effugere damnationem potuerint: quia id ad
 rei summam nihil interest, dummodo concedatur, gra-
 tiam Dei naturæ operibus præveniri, & secundum ea
 certissi-

certissime dispensari; id quod a Synodo Arausic. II. in Semipelagianis damnatum est. (§. CLV.) *)

§. CLXI:

*) Minime diffrendum, inter SS. Patres, veteresque Scriptores Ecclesiasticos, qui exortas de gratia contentiones atate anteverterunt, fuisse nonnullos, qui moroso opusculorum suorum scrutatori Semipelagianorum errore de naturæ operibus gratiam prævenientibus præformasse spectata littera videri possent. Sed ab horum plerisque maculam hanc felici conatu jam abste fere Viri in Patrum scriptis studiosius versati, nobisque hac in re laboris compendium fecerunt. Utne tamen lectori improvido, & in lectione Patrum minus exercitato fraudi sint, quæ subinde occurrunt, liberius, minusque castigate dicta: en! generales quasdam regulas ad rectam Patrum intelligentiam, cavendumque errandi periculum accommodatas.

Regula I. Si quando SS. Patres perfectionem, ac consummationem bonorum operum divinæ gratiæ; bonum vero voluntatis conatum, initium & inchoationem boni operis soli homini attribuere videntur; intelligendi sunt de homine primæ gratiæ prævenientis adiutorio prævie e citatæ; tamen hoc ipsum non semper ubique expriment, modo id aliis Scriptorum suorum locis breviter, & transeunter solum attingerint.

Nam SS. Patres inimicis gratiæ *nondum litigantibus*, notante S. Augustino L. 1. contra Julian. C. 6. *securius loquebantur*, nullum quod adhuc subesset periculum, ne illorum liberiora dicta in sequiorem sensum traherentur a fidelibus tam per doctrinæ verbum, quam per publicas Ecclesiæ preces de æconomia gratiæ, ejusdemque ad initium, progressum & consummationem boni operis necessitate probe alioquin institutis, nec ullis adhuc de gratia concertationibus turbatis. *Quid igitur opus est*, inquit August. L. de prædest. SS. C. 14. *ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista heresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum questione versari, quod procul dubio facerent, si talibus* (Semipelagianis, contra quos hic liber scriptus est) *respondere cogerentur. Unde factum est, ut de Dei gratia, quid sentirent, breviter quibusdam Scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent.*

§. CLXI. Mirum ergo videri non debet, si Ecclesia circa illam *facti dogmatici* quæstionem nullum hucusque decretum edidit: potius enim silentio suo ostendit

Immerito igitur cum Calvino Vasquez, & post illum Richardus Simonius apud Bossuet Def. de la Tradit. L. 5. C. 5. S. Chrysostomum Semipelagianismi suspectum habent, tanquam si *bonæ voluntatis initium, bonique operis inchoationem solis humanis viribus attribuisset*; tum quod in Psal. 120. *A nobis esse principio docuerit*; tum quod Hom. 7. in Ep. ad Philip. scripserit: *ubi voluerimus; de cætero augebit (Deus) propensionem voluntatis*. Et rursus Hom. 12. in Ep. ad Hebr. *nostrum est eligere, & velle; Dei autem perficere*. Nam hæc & alia sine præjudicio *primæ gratiæ prævenientis* prolata, ex aliis alibi ab eo breviter, & transseunter scriptis, & a nobis supra (§. CLVI.) jam ubertim productis S. Doctoris sententiis intelligi facile poterant. Quare si S. Benedictus Abbas, qui post jam exortas Semipelagianorum turbas in Prologo S. Regulæ scripserat: *quidquid agendum inchoas bonum a Deo perfici instantissima oratione deposcas*; a nemine tamen unquam in erroris suspitionem tractus est, perinde si Semipelagianis inchoationem seu initium boni operis soli homini tribuentibus consentisset: propterea quod rectos suos de gratia divina sensus, ut infra Cap. ult. videbimus, alibi locorum paucis expressisse visus sit; cur non eandem æquitatem mereatur S. Chrysostomus nondum litigantibus Semipelagianis securius locutus, qui tamen quam orthodoxe de gratia Dei sentiret, alibi, ut vidimus, pluries, multoque uberius declaravit?

Regula II. Dum SS Patres aliquando negant Deum nostras antecedere, ac prævenire voluntates; neutquam propterea excludere censendi sunt prævenientis gratiæ adiutorium, quod suaviter alliciendo voluntatem ad bonum moraliter determinet; sed tantum quod physicam necessitatem inferendo libertatem tollat.

Nam Patres ante Pelagiani erroris exordia maxime contra tunc grassantem Manichæorum hæresim, quæ liberum negabat arbitrium, & omnia in eluctabili necessitate fie-



dit se probare illorum iudicium, qui propositionibus ad se delatis Semipelagianorum errores sub alio verborum fuce renovari contendebant; præsertim cum celeberrimorum

ri contendebat, magis pro tempore sibi vigilandum putabant. Quorum proinde sententiæ in materia gratiæ non nimium sunt urgendæ; sed si quid durius sonent, benigna interpretatione flectendæ ad catholicum sensum, ab iisdem etiam auctoribus alibi clarius expressum, inquit *Estius* in 2. Dist. 26. §. 25. ubi etiam quædam de S. Cyrillo notat. Suadet hanc interpretationis æquitatem, vel ipsa quæstionis difficultas, *ubi de arbitrio voluntatis, & gratia Dei disputatur, quæ quæstio adeo ad discernendum difficilis* S. Augustino L. de gratia Christi C. 52. videbatur, *ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

Dum igitur rursus S. Chrysostomus Hom. 17. in Joan. scribit: *Deum - - nostras non prævenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse.* Aut Hom. 12. in Ep. ad Hebr. oportere nos eligere primum, *quæ bona sunt, & tunc ipsum Deum, quæ sua sunt introducere.* Non ipsum antecedere voluntates nostras, *ne lædatur arbitrium:* negare solum censendus est, Deum prævenire voluntates nostras absolutam eis necessitatem inferendo; quin neget eas Deum prævenire suaviter intus alliciendo & adjuvando, prout se ipsum declarat Hom. 45. vel juxta nonnullas editiones 46. ubi Manichæis quærentibus: *si quis venit ad eum, quid opus est, ut trahatur?* respondet: *Verum hoc nostrum non tollit arbitrium, sed divino indigere auxilio ostendit.*

Regula III. Quamvis omne opus salutare ac meritorium totum gratiæ, & totum etiam libero arbitrio suo sensu tribuendum sit, juxta illud S. Bernardi Tract. de gratia. & Lib. arbitr. C. 14.: *non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt.* Totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in hoc, sic totum ex illa: Patres tamen aliquando ad omnem temporis ac desidiæ causationem anteverendam dissimulato uno, alterum magis exaggerare solebant, ut ad boni

morum Virorum, classicorumque Theologorum latis
 contra doctrinam illis propositionibus contentam censuris
 tacite acquiescat; licet alias errores dubios, ac incertos

boni operis studium fideles exstimulent, alibi pro re nata,
 quid Deo tribuendum sit, satis pramonitos & sufficienter
 doctos.

Hac de causa scripsit S. Hilarius Pictaviensis Comment. in
 Matth. Cap. 7. *De nostro est beata illa aternitas promerenda,
 praestandumque est aliquid ex proprio, ut bonum velimus,
 malum omne vitemus, totoque affectu preceptis celestibus
 obtemperemus, ac tali us officii Deo cogniti sumus.* Quæ
 verba, tametsi quot annis in officio canonico in Homilia
 Dominicæ VII. post Pentecosten legantur; nemo tamen
 hucusque cum exclusione gratiæ dicta intellexerit; eo
 quod hujus necessitatem idem S. Pater alias sapius inculcaverit,
 uti in Psal. 118. ubi totum gratiæ tribuendum esse
 non obscure innuit: *Totum, inquit, a Deo Propheta sperat,
 totum ex misericordia Dei expectat:* quia, ut ibidem ait:
*ad justificationum Dei custodiam, nisi a Deo dirigamur,
 infirmi sumus per naturam.* Unde & in Psal. 51. monuerat:
quod nemo ex se habeat bonitatem; ac demum in Psal. 123.
 omnem gloriaudi causam removens agebat: *Quis enim
 relictus est nobis gloriandi locus recordantibus omnia ex
 Deo esse.*

Sunt quidem præterea adhuc nonnulla apud S. Hilarium,
 quæ ejusdem Operum editores velut minus exasciata in
 hac materia notarunt, quorum pleraque tamen ad
 proxime traditas regulas exacta complanari facile poterunt;
 præsertim, si in subsidium adhibeatur regula post *Sixtum
 Senensem* a doctiss. *Petavio* commendata Lib. II. de Deo
 Cap. 4. n. 8. Cæterum ad vitandam facilius deceptio-
 nem generalis hæc in Lectione Patrum cautela semper
 observanda, ut si quas insolitas apud eos lector offendat
 loquendi rationes, quæ sua eum novitate percellant; su-
 um tantisper judicium cohibeat, donec plenius constet,
 quo fine, quibusque de causis ii præclarissimi viri in
 scribendo ita se gesserint, siquidem iudice vel ipso S. Hi-
 lario: *intelligentia dictorum ex causis est assumenda di-
 cendi* (§. XIII.) His adde interpretandi Canones (§. LXI.)
 ab Ant. Genuen. & clerico commendatos.



certos in catholicis auctoribus acerbe perstringi Apostolica Sedes haud facile sustineat. Quoniam igitur errores illos, qui novitiæ huic doctrinæ imputantur, tot Conciliorum decretis Ecclesia jam proscripsit; iidem consequenter proscripti intelliguntur, quotiescunque rursus in medium proferuntur: *neque enim alio iudicio opus est, ut Baronius ait, cum jam præjudicatum sit*; ac proinde semper eeu reprobatum ab Ecclesia respici debet, quod olim ab ea reprobatum fuisse constat.

Neque propositionum illarum Architectum, ejusque fautores somniare juvat festivum illud lepidumque *pactum*, aut *legem* inter Christum, & Deum Patrem statutam conferendi gratiam homini facienti quod est in se viribus naturæ. Quis enim non protinus videat merum hæc esse commentum ad fucum incautis faciendum, ut quamvis quoad rei substantiam cum Semipelagianis mirifice conspirent, vocibus saltem ab iis discrepare videantur; aut saltem imperitis astute persuadere valeant de tali doctrinæ puncto quæstionem moveri, quæ ad catholicæ fidei summam non pertineat. Hæc autem communis semper fuit Hæreticorum astutia cum primis vero Pelagianorum de quibus S. Augustinus: *Volentes, inquit, hæreseos astute invidiam declinare, asserunt istam præter fidei periculum esse quæstionem, videlicet, si in ea fuerint exorbitasse convicti, non criminaliter, sed quasi civiliter errasse videantur* a) Caterum si speciosa vocum mutatione, & inanibus quibusdam figmentis fas sit eludere Conciliorum decreta; nulla definita veritas per hanc levitatem jam intacta, ac salva consistet. Nec quicquam officit, quod error sub alia vocum compage proferatur, dummodo re ipsa, ac sensu conveniat cum erroribus olim damnatis; cum Ecclesia in damnandis falsis doctrinis

a) Lib. 2. de peccat. originali Cap. 23.

nis earum sensum diversis licet verbis expressum unice attendat.

§. CLXII. Atque ex his demum verum esse conficitur memoratas propositiones, esto nullum adhuc Ecclesie universalis solemne iudicium de illis prolatum sit, certum tamen errorem circa orthodoxam de gratia doctrinam in obvio verborum sensu complecti; si nimirum de certitudine agatur, quam ex SS. Scripturarum, Conciliorum, Patrumque traditionis studio haurire Theologus debet: nisi ita desipere velis, ut illorum auctoritatem parvipendendam, atque ad unam Ecclesie actu, solemniusque docentis definitionem omnia exigenda esse statuas. Quasi vero unquam aliter Ecclesia Christi iudicare possit, quam ferat SS. Scripturarum, Conciliorum, Patrumque traditionis auctoritas. Atqui vero horum auctoritati prorsus contrariam esse propositionum, de quibus agitur, doctrinam, certitudine plus quam morali convinci facile quisque poterit, qui allata hucusque hanc in rem testimonia cum sincero assequenda veritatis amore, & absque praesudicio expendit.

Accedit Ecclesiam praeter communes has regulas, quarum ope de controversiis omnibus judicari potest, peculiarem nobis regulam proposuisse, ad quam quaestiones de gratia Christi exigere oporteat. Declaravit enim de hisce rebus iudicium ferendum esse juxta S. Augustini mentem, atque ex eo discendum *quid de gratia, & libero arbitrio Romana, seu catholica sequatur, & asseveret Ecclesia a*). Re ipsa vero Augustini de gratia sententiam quotquot deinceps consecuti sunt Patres & Doctores tum vero Ecclesie Romanae Praesules, Praesulumque conventus aliorum, ratam, & catholicam iudicarunt, ut hoc satis magnum
puta-

a) Hormisdas Pp. Ep. ad Possessorem.



putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, ac decretum esse constaret, inquit doctiss. Petavius a) Merito igitur Clemens VIII. agebat: Cum multi Pontifices Prædecessores nostri doctrinæ S. Augustini de gratia, tam acres fuerint assertatores, & vindices, ut quasi hereditario jure, eam in Ecclesia relinqui voluerint; æquum non est, ut patiar illam hac quasi hereditate privari. Idem plane sentire alii subsequentes Pontifices, quos proinde hac parte Antecessores suos deseruisse apertum est Protestantium quorundam mendacium. Hac igitur regula præ oculis habita, qui ingenuus sit, ac veritatis amore ducatur, facile internoscere poterit falsam doctrinam a vera, novorum errorem ab antiqua veritate, non solum ex diligenti operum S. Doctoris meditatione, sed vel ipsa recentium Theologorum S. Augustini placita aspernantium confessione, qui cum viderent, novas adinventiones suas Augustinianæ doctrinæ principiis minime congruere, nihil illis solemne magis fuit, quam S. Patris auctoritatem inverecunde proscindere, modisque omnibus elevare, cujus audaciæ ac præsumptionis exempla plura profert Petrus Tamburini jam sæpe cum laude memoratus. b)


Ut quid ergo opus est novum Ecclesiæ judicium requirere, & expectare ad capiendam erroris certitudinem, dum ex una parte certam habemus definitionem Ecclesiæ S. Augustini de gratia doctrinam consecrantis;

ex

a) Tom. 7. Theol. dogmatum Lib. 9. Cap. 6. n. 1. Petavio consentit Bellarminus Lib. 2. de grat. & lib. arbitr. ubi Augustini de gratia sententiam non quorumvis Doctorum opinionem, sed fidem Ecclesiæ Catholicæ dici debere contendit. b) Cit. Dissert. (§. LI.) ubi num. 14. Capitis 4. fufe, solide, ac erudite diluit objectionem ex Silenzio Ecclesiæ petitam; unde nonnulla hic in rem nostram accommodavimus.



ex altera vero partium certam confessionem recentium illorum Theologorum, qui novellis suis de gratiæ œconomia placitis S. Doctorem adversari ultro largiuntur? Quare si quis adhuc in re tanti momenti labitur, sua temeritate labitur, non Ecclesiæ ultimum suum iudicium suspendentis, aut differentis vitio.





CAPUT XVIII.

Gratia ad omne peccatum per legis naturalis observationem morali potentia devitandum necessaria est: 1) gratia sanctificans, qua destitutus peccator nondum penitens diu sine novo gravi peccato vivere morali potentia nequit. Sed præterea 2) necessarium est gratiæ actualis auxilium. Et istud quidem 3) efficax, quod Augustino adiutorium illud medicinæ Salvatoris, consistens in inspiratione delectationis, qua fit, ut cognita sancto amore faciamus, cujus ope vincatur delectatio peccati per collatas vires efficacissimas voluntati. Refellitur objectio ex propositione prima inter quinque ab Innocentio Pp. X. damnatas. Neque propterea consequitur gratiam inefficacem, seu in sensu Theologico sufficientem, futuram inutilem. Hujus quam plurima commoda recensentur, & quantum gratiæ sufficientes, ad efficaces disponant? uberius declaratur.

§. CLXIII. **V**indicata jam, & in tuto posita fidei catholicæ doctrina, reliquum porro est curatius determinare, quænam sit illa medicinalis Christi gratia, sine qua per solas naturæ vires legem Dei servare, & sine peccato vivere neminem posse demonstravimus. Hæc autem quæstio ex præmissis hætenus principiis determinari facile potest, cui mox subjungendis propositionibus satisfiet. Sit itaque: Pro-



Propositio I. Gratia sanctificans ex ordinatione Dei, & lege communi ita moraliter necessaria est, ut sine ea peccator nondum penitens longiori tempore legem Dei naturalem servare, & diu sine novo peccato mortali vivere moraliter potentia omnino nequeat.

Primo enim S. Scriptura victoriam tentationum attribuit gratiæ sanctificanti, & Spiritui divino inhabitanti in cordibus nostris: *Peccatum enim, inquit Apostolus ad Romanos, a) peccatum, inquam, id est concupiscentia vobis non dominabitur. Et rationem subdit: non enim estis sub lege, sed sub gratia, utique sanctificante: renatos quippe hic alloquitur. Deinde S. Joannes b) potentiam non peccandi cum effectu conjunctam ex gratia sanctificante repetit, ait enim omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ejus, id est gratia sanctificans, in eo manet. Secundo: in asserenda eadem doctrina constantes fuere S. Augustinus, & S. Thomas, quorum prior: Factores, inquit, legis justificabuntur, ut sciamus aliter non esse Factores legis, nisi justificentur: ut non justificatio Factoribus accedat; sed ut Factores legis justificatio precedat c). Et alibi gratiarum seriem, quæ legis operationem præcedit, articulatim exponens, iis etiam gratiam sanctificantem accenset, dum ait: per legem cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam, puta sanctificantem, sanatio animæ a vitio peccati; per animæ sanitatem, libertas arbitrii: per liberum arbitrium, justitiæ delectatio: per justitiæ delectationem, legis operatio d). Magis vero præcise S. Thomas: In statu, inquit, nature corruptæ non potest homo implere omnia mandata sine gratia sanctificante e). Et iterum: In*

Q 2

statu

a) Rom. 6. v. 14. b) Joan. 4. v. 4. c) L. de grat. Christi Cap. 26. d) L. de Spir. & lit. C. 20. e) r. 2. Q. 109. Art. 4.



statu naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc, quod omnino a peccato abstineat a).

§. CLXIV. Dicitur fuit in Propositione: *peccator nondum pœnitens*: de pœnitentibus enim, quos olim Ecclesia longiori tempore diuturnis pœnitentiæ operibus exercebat, atque probabat, antequam ad reconciliationem eos admitteret, aliter judicandum. Peccatores autem, qui pœnitentiæ remedia negligunt, diu sine novo gravi peccato vivere, consequenter legem Dei servare morali potentia per longius tempus non posse sequenti argumento facile ostenditur. Enim vero is morali potentia lapsus in peccatum *grave* diu vitare nequit, qui gravioribus pulsatur tentationibus, & potentiori Dei præsidio destituitur. Atqui peccator pœnitentiæ remedia negligens in hujusmodi incommoda se volens conjicit. Ergo. *Major* propositio exploratæ veritatis est. *Minor* vero, cujus duæ sunt partes, ostenditur, & quidem quoad primam partem, quæ est de gravioribus tentationibus. 1) namque peccatori dominatur cupiditas, ut ex proxime citato Apostoli textu facile eruitur; cupiditas vero eo ipso saporem rerum cœlestium impedit, quo magis ad terrenas impellit: *præoccupatum nempe secularibus desiderii animum delectatio sancta declinat: nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias, quæ sursum sunt, & quæ super terram, inquit S. Bernardus b).* Atqui vero ex textu S. Augustini de spiritu & lit. proxime laudato, sine suavitate & dilectione justitiæ lex non impletur; qua de re vide etiam (§. CX.) 2) In peccatore concupiscentia & passiones magis sunt effrænes, & rationem acrius impugnant: justum quippe est, ut ratio, quæ Deo superiori suo non obtemperat; inferiorem suum seu carnem

a) Ibid. Art. 4. b) Serm. 5. de Ascens.

nem sentiat rebellem, & qui non obtemperat Domino, torqueatur a servo, uti docet S. Augustinus a). 3) Dæmon majorem exercet potestatem in peccatores: quemadmodum enim justus, qui ex Deo natus est, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum, ut testatur S. Joannes b): ita e contra peccatores, nisi resipiscant, hujus maligni laqueis, ut ait Apostolus, captivi tenentur ad ipsius voluntatem c). Quibus proinde conformiter recte docet Auctor Operis imperfecti apud S. Chrysostomum: si semel peccantes nos obligaverimus operibus diaboli, jam nostra virtute evadere non possumus, sed sicut navis, fracto gubernaculo illuc ducitur, ubi tempestas voluerit; sic & homo divine gratiæ auxilio perditto per peccatum agit, non quod vult, sed quod diabolus vult d).

§. CLXV. Ex his vero, quis non intelligat difficile admodum esse, adeoque moraliter impossibile non labi in via tam lubrica, propellente diabolo, & præterea Deo peccatorem deferente? quod ultimum, quoniam Minoris alteram partem continet, nunc porro probandum incumbit, quod sequentibus demonstrari ex Haberto facile potest. Certum sane, omnibusque persuasum est, multa juste denegari inimicis, quæ alias amicis liberalissime conceduntur. Atqui juxta Auctorem libri sapientiæ gratia sanctificans, seu charitas constituit amicos Dei e), peccatum vero Dei inimicos f). Attestante autem Psalte Regio: Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala g): qui & rursus ait: cum sancto sanctus eris - - & cum perverso perverteris h), id est ex S. Augustino in hunc locum, quem communiter sequuntur interpretes: cum bono benigne & liberaliter ages; contra vero cum per-

Q 3

verso

a) In Psal. 143. b) Cap. 5. v. 18. c) 2. Tim. 2. 26.
d) Hom. 34. e) Sap. 7. v. 14. f) Cap. 14. v. 9.
g) Psalma. 33. h) Psal. 17.

verso austere & dure, ita ut ipsi perversus videaris. Denique ex eodem S. Doctore passim, & ex S. Thoma a), subiractio gratiæ, saltem commodioris, iusta est peccati pœna, sicut & permissio sequentium peccatorum juxta illud Psalmistæ: *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis* b). His vero probe expensis verum esse consequitur, quod restabat probandum, nempe peccatores pœnitentiæ remedia negligentes potentiori Dei præsidio destitui, ac proinde sibi ita relicto lapsum in peccata mortalia diu vitare non posse potentia morali: quia ut S. Augustinus rursus ait: *Prævaricatorem legis digne deserit lux veritatis, qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & calcando vexetur* c). Unde etiam merito docet S. Gregorius M.: *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, suo pondere ad aliud trahit* d), *)

§. CLXVI.

a) In Cap. I. Epist. ad Rom. b) Psalm. 30. c) Lib. de nat. & grat. Cap. 22. d) Homil. 11. in Ezechiel.

*) Cave, inde inferas: peccatorem impenitentem caritarum omni auxilio sufficiente, sicque necessario peccatum, si gratia sanctificans necessaria sit ad vitandum peccatum. Nam imprimis non requirimus gratiam sanctificantem velut absolute necessariam, sed moraliter tantum; nec ad quodlibet grave peccatum vitandum, sed ad omnia peccata diu vitanda. Deinde certum est, Deum peccatorem interius sæpe movere & excitare ad penitentiam, per quam impetret auxilia proxima & validiora. Cæterum adductæ probationes hoc compendii habent, quod Pastor ex illis solida argumenta depromere possit adversus eos, qui in peccatis abdormiunt, vixque semel per annum ad sacramentalis pœnitentiæ remedium confugiunt; cum tamen Ecclesia in Concil. Tridentino Sess. 13, & 22. fideles ad frequentem Sacramenti Eucharistiæ perceptionem cohortetur, ad quam non licet accedere, nisi præmissa sacramentali Confessione, ut eadem Synodus statuit Sess. 13. Cap. 7.

§. CLXVI. Propos. II. *Gratia sanctificans sola non sufficit, ut homo etiam justus legem naturalem servare, & sine peccato gravi per longius tempus vivere possit; sed ad hoc etiam necessaria est gratia actualis.*

Prior propositionis pars colligitur ex dictis supra (§. XXXVII. & XXXVIII.), ubi ex auctoritate S. Augustini id ipsum demonstravimus. Hujus rationem opportunam reddit S. Thomas cum ait: *licet natura humana per gratiam (intellige habitualem) sanetur quantum ad mentem: quippe quæ per eam habitualiter convertitur ad finem ultimum; remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7. Remanet etiam quædam obscuritas in intellectu. Et ideo necesse est nobis, ut a Deo dirigamur, & protegamur a),* nempe per gratias actuales.

Altera propositionis pars, præterquam quod ex iisdem auctoritatibus vim probationis obtineat; majus adhuc robur accipit ex constanti in Scriptura, Patribusque fundata Ecclesiæ doctrina, qua quotidianum contra tentationes gratiæ munimen etiam *justis* implorandum esse (§. CXI.), gratiamque, qua ab *omni peccato, & transgressione mandatorum liberemur, & qua ea, quæ nobis agenda præcipiuntur, Deo miserante adimplere possimus*, omnibus etiam *justis* necessariam esse, ex publicis Ecclesiæ precibus (§. CXXIV.) edocemur. At certe gratia, quam ad legem Dei servandam, & devitanda peccata necessariam *justi* implorant, nequit esse gratia sanctificans, seu habitualis, quam jam habent: quia teste Augustino: *nihil stultius est, quam orare, quod habeas in potestate b).* Igitur gratia, quam *justi* implorant, alia

Q 4

non



non est, quam actualis, consistens in illustratione intellectus, & delectatione voluntatis.

§. CLXVII. Propos. III. *Gratia actualis ad observationem legis naturalis, & devitandum omne peccatum necessaria, est sola gratia efficax.*

Enim vero eadem gratia, quæ necessaria est ad vincendas tentationes, ne tentati in peccatum decidamus, necessaria quoque est ad omne peccatum per legis naturalis observationem devitandum (§. CXXIII). Arqui gratia ad superandas tentationes necessaria est gratia actualis efficax: est enim tentatio gravis, de qua hic sermo est, quælibet boni apparentis species vividius excitata voluntatem ad verum malum sub specie boni apprehensum vehementius inclinans: (§. C. *). Hæc autem inclinatio superari aliter nequit, juxta S. Augustini doctrinam Psychologiæ principiis conformem nisi id, quod vere bonum est, certius noverimus, eoque delectemur ardentius; & nisi, quod justum est, sic delectet animum, ut quidquid aliud voluptatis impedit, delectatio illa superet (§. CX). Illud vero præstat sola gratia efficax, quæ est delectatio illa victrix, apud S. Augustinum, seu inspiratio dilectionis, qua fit, ut cognita sancto amore faciamus a): ut enim idem S. Doctor ait: si agi homo cæperit Dei Spiritu; concupiscitur adversus carnem fortiori robore charitatis - - in quantum homo non cedit malæ concupiscentiæ vincente delectatione justitiæ. (§. CXIV.) Gratia igitur sicut ad vincendas tentationes, ita & ad devitandum peccatum, ad quod tentatio impellit, necessaria, est gratia efficax, quæ, teste iterum S. Augustino, non est nisi charitas, quam per Spiritum donat Deus, cujus ope vincatur delectatio peccati b), dando menti cœlestem delectationem c).

§. CLXVIII.

a) Lib. 4. ad Bonifac. C. 5. b) Lib. 1. Operis imperf. C. 107. c) Hom. 29.

§. CLXVIII. Probatur eadem propositio ex præmissis hætenus principiis. Jam enim ostendimus moralem impotentiam, legem Dei servandi, & peccata vitandi a Patribus & Conciliis passim repeti ex infirmitate naturæ vitiatæ (§. XXXV. — XCIX), nec non ex prævalente voluntatis ad propria studia, privataque bona, & commoda propensione (§. CXXIX.) Sed vero hæc infirmitas, & inordinata propensio non tollitur per solam gratiam *habitualem*, seu *sanctificantem* (§. Præced.); nec per gratiam *actualem inefficacem*, seu in sensu theologico *sufficientem* (§. XCV.): quippe quæ moralem impotentiam non auferit, sed cum ea consistit, uti consentiunt Theologi omnes, qui efficaciam gratiæ ex præviso consensu non repetunt (§. LXXX. & seq.); restat ergo, ut dicamus, hæc impedimenta tolli per gratiam *efficacem*, seu per *adjutorium* illud, quod teste S. Augustino, *infirmis servavit Deus, ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent, ne inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet* (§. LXVI.); quod ex eodem S. D. est *adjutorium medicinæ Salvatoris nostri*, quo possibilitas non peccandi confertur (§. XXXV), consequenter moralis non peccandi, legemque servandi impotentia auferitur, quatenus *inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum*, ut idem S. Pater rursus ait, *facit plus delectare, quod præcipit, quam delectet, quod impedit* a) hocque pacto *facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati* b). *)

§. CLXIX.

a) Lib. de Spirit. & Lit. Cap. 29. b) Lib. de [grat. & lib. arb. Cap. 16.

*) Ex his, aliisque S. Augustini textibus a nobis hætenus productis facile quisque dispiciet *Jacobi Merlini* fraudem, malamque fidem, quam prodidit in suo contra *Pelagianos*

§. CLXIX. Neque dicas: si moralis impotentia, seu impossibilitas servandi legem Dei, & peccata vitandi non tollitur, nisi per gratiam efficacem; sequeretur verum esse, quod jam alias ab Ecclesia damnatum est, nempe: aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent vires, esse impossibilia; deesse quoque illis gratiam, qua possibilia fiant. Certum quippe est etiam justos cum renisu, & conatu in oppositum, tentationibus nonnunquam cedere, ac succumbere. Carent ergo gratia efficaci, qua diximus moralem peccato resistendi, & legem servandi impotentiam, seu impossibilitatem tolli.

Verum respondeo: propositionem illam damnatam esse in sensu ab Auctore intento. At res est apud Theologos expedita auctorem hujus doctrinæ id cumprimis intendisse: aliqua Dei præcepta justis volentibus & conantibus esse impossibilia *impotentia physica*, illisque deesse gratiam qua possibilia fiant *physica potentia*, quam comparate ad observationem præceptorum *supernaturalium* tribuit gratia *inefficax*, seu in sensu theologico *sufficiens*, quæ justis nunquam deest, aut denegatur, cum instat præceptum, vel urget tentatio cujusmodi gratiæ genus in præsentem statu assertores præfatæ doctrinæ erroneæ

lagianos Opusculo Parisiis primum an. 1732. Gallice scripto, & an. 1740. Vindobonæ latinitate donato atque vulgato, in quo Auctor veram Operum S. Augustini elavim se invenisse confidit. Verum a Theologis in doctrina S. Augustini apprimè versatis affatim ostensum jam est, *Merlium* pro vera clavi erroneam, adulterinamque subtrussisse; ad quos proinde, ne longius, quam par sit, a proposito nostro divellamur, lectorem remittimus. Sed ne ad externos recurrere necesse sit, consuli poterit Exim. *Schmalzfus*, qui aliquid hanc in rem compendio præstitit Part. 2. de Auxiliis divinæ gratiæ pag. 220 — 225 — 228.



neæ non agnoscebant. Præterea ideo damnata fuit illa propositio, quod terminis *generalibus*, & *indefinitis* impossibilitatem quædam Dei mandata servandi adstruens, omnem possibilitatem, seu potentiam tam *physicam*, quam *moralem* a justis gratia *efficaci* aliquando destitutis excludere videretur; quem generalem loquendi modum jam ante Synodus Tridentina improbavit a) ut *temerarium*.

Quare si quis diceret: quædam mandata Dei justis volentibus & conantibus, secundum præsentem, quas habent, vires esse *moraliter* impossibilia, impossibilitate proveniente non ex defectu, & imbecillitate, aut tenuitate gratiæ sufficientis, sed ex infirmitate naturæ peccato vitiatæ, indeque orta mentis ignavia, & pravitate voluntatis humanæ, quæ vires physicas, quas habet (sive naturales relate ad præcepta legis naturalis, sive supernaturales comparate ad præcepta ordinis supernaturalis) non exerit adversus difficultatem, quam patitur, nec uberius Dei auxilium implorat: & qui diceret: justis quandoque deesse gratiam efficacem, qua præcepta Dei *moraliter* possibilia fiant, potentia nempe *moralis cum actu conjuncta*; procul dubio verissimum diceret, & a periculo incurrendæ censuræ prorsus immunis foret. Qua de re vide, quæ supra toto Capite VII. pertractavimus.

§. CLXX. Nec rursus obmoveas: si gratia inefficax seu theologico sensu sufficiens, (quam justis, cum instat præceptum naturale, vel urget tentatio, nunquam deesse

- a) Sess. 6. Cap. II. ubi ait: *Nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet), Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia (puta tam physice, quam moraliter; adeoque absolute impossibilia) non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis potentia morali, & petere quod non possis potentia morali, & adjuvat, ut possis potentia morali cum actu conjuncta.*



deesse diximus) *moralem potentiam* servandi legem & tentationem superandi non tribuit, sed cum *moralis impotentia* nusquam in actum redigenda consistit (§. LXXX.) ; sequitur profecto eam justis nihil profuturam ; cum absque gratia *physicam* legem servandi (§. XCIX.), & tentationes vincendi potentiam (§. C.) haberi fateamur. Et nunquid non præstabilius fore videretur tali gratia carere, quæ accipienti aliud non conferat, nisi ut apud Deum reddatur magis inexcusabilis, dum per eam majorem legis cognitionem homo accipit, qui absque ea legem naturalem, quoad remotiores conclusiones, invincibiliter ignorare, sicque formale devitare peccatum facilius potuisset. Ex quo demum consequitur immerito damnatam fuisse an. 1690. Decreto Inquisitionis propositionem sequentem: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut merito possimus petere: a gratia sufficiente libera nos Domine.*

§. CLXXI. Ad diluendam hujus objectionis difficultatem respondendum primo cum S. Augustino a) *multa in hac vita sine salutis labe nesciri: quis enim cognovit sensum Domini, aut consiliarius ejus fuit, ut rationem reddat œconomix, quam Deus observat in suarum distributione gratiarum? Disciplina sapientix, inquit sapiens, cui revelata est, & manifestata, & multiplicationem ingressus illius quis intelligit?* b) Quod si enim ratio & modus, quibus hæc inferiora, & sublunaria a Deo reguntur, intelligentiam, sensumque Philosophorum quam longissime fugiunt ; quis mentem ad supernaturalia transferens timere non debeat, ne dum esse vult *Scrutator Majestatis, opprimatur a gloria?* c) Quis Altissimi consilia contemplans non potius cum Apostolo exclamet: *O altitudo!*

a) Lib. 5. contra Julian, Cap. 3. b) Eccl. 1. v. 7. c) Proverb. 25. v. 27.



titudo! &c. a). Quis porro illa duo facile conciliet, quæ Concilium Trident. Sess. 6. docet? Alterum Cap. 13. *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes (Justi) debent; cum fides doceat illis volentibus & conantibus non deesse gratiam, qua præcepta Dei possibilia fiant.* Alterum Can. 22. quo anathemate percussit asserentem: *justificatos sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse.* Quomodo enim omnes firmissimam spem in Dei auxilio collocabunt, cum constet speciale illud perseverantiæ donum non omnibus justis, sed solis prædestinatis esse concessum? *Si qui jam obediunt, inquit S. Augustinus, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt* b). Humiliter ergo audiendum est illud sapientis monitum: *Altiora te ne quaesieris; - - - sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre* c). Attamen propositæ difficultati Theologi prorsus non succumbunt. Quare

§. CLXXII. Respondeo plurima hominibus commoda a Deo præstari per gratias ex ignavia, & pravitate recipientis inefficaces. Præterquam enim, quod justis vires *physicas* tribuant ad juris naturalis præcepta quoad *modum*, nempe cum merito vitæ æternæ, observanda, tentationesque *meritorie* vincendas: insuper etiam hoc præcipue compendii habent, quod multis capitibus ad gratiam efficacem disponant, prout egregie rem explicat Doctiss. *Habertus*. Nam 1) mentem evehunt ad ordinem supernaturalem, & gratia, quæ dicitur tantum sufficiens ad actum ultimum, ad quem movet, sæpe est
efficax

a) Rom. 11. b) Lib. de dono persever. Cap. 22. c) Eccl. 3. v. 22, 23.



efficax respectu proximi: *contingit enim quandoque, inquit S. Thomas a), quod Deus movet hominem ad aliquid bonum, non tamen perfectum; & talis præparatio præcedit gratiam.* 2) Gratia sufficiens seu inefficax concupiscentiam minuit, & ejus impetum frangit, aut ardorem illius temperat, ut voluntas resistere possit; quod autem consentiat, ex ejus pravitate est, non ex vitio vel imbecillitate gratiæ, ut jam diximus. 3) Mentem illuminat, & voluntatem pia affectione commovet; unde contingit, ut homo interioris officii sui moneatur, & ad illud præstandum, vel ad orandum, ut plene possit, incitemur; ubi autem ex negligentia tentationi succumbit, id fiat repugnanter, & quodam modo invite, & propterea conscientiæ stimulis exagitetur, seipsum coarguat, & deiciat. Quis autem negaverit ista præparare ad ulteriorem gratiam, propter quam prior concessa fuit?

Porro prosequitur laudatus Theologus: si filius plurimum debet optimo parenti, qui studiose illum edocet, quæ recta sunt, diligenterque hortatur, ut ad ea mores suos componat; quanto amplius obstricti sumus Patri luminum, qui longe præstantiori modo per gratias etiam sufficientes vera, & utiliora animis nostris instillare & corda nostra excitare non intermittit? Esto enim quis divinæ motioni non obtemperet, saltem minus libere peccat; aliquatenus quippe repugnat voluntas cœlesti lumine collustrata, inde pungitur, seipsum deiecit, & ex sui displicentia residet animi tumor, sicque ex lapsu demissius de se sentiens accedit ad salutem: Deus enim, qui *alta a longe cognoscit, juxta est iis, qui tribulatio sunt corde, & humiles spiritu salvabit b).* Audeo dicere, inquit S. August. *Superbis esse utile cadere in apertum aliquod manifestumque peccatum, unde sibi displiceant,*
qui

a) 1. 2. Q. 112. Art. 2. ad 2. b) Psalm. 33.

qui jam sibi placendo ceciderunt a). Et S. Gregorius Mag. Qui acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed, ut ita dixerim, medicamento vulneratur. - - - Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, (superbiendo) vitio curemur b). Ex quibus perspicuum fit longe falsissimum esse, gratiam phÿsice sufficientem nihil utilitatis conferre, atque adeo jure meritoque damnatam fuisse propositionem id temere asserentem.

§. CLXXIII. Sed fortasse quis dicat tanta bona homini non provenire sine gratia efficaci. Sit ita, quod negari nequit; at certum non minus est ad efficacem gratiam corda quandoque præparari per sufficientem, ut supra ajebat S. Thomas. Per ipsam enim quisque videt, quam in multis offendat: lumen quippe est, sine quo non adverteret se nunc inaniter jactare ex bonis operibus: nunc periculosius placere sibi, cum aliis nec placere, nec displicere curat: nunc voluptatem subrepere sub obtentu necessitatis, negligentiam sub prætextu curandæ valetudinis, libidinem vindictæ sub falsa imagine consulendi proximo, vel tuendæ veritatis, & alia pene innumera, quæ indies serpunt ex vitiata natura. Per ipsam quoque inefficacem gratiam inspiratur amor boni, & odium mali, cum sit divina motio & pia affectio, cui non nisi repugnanter resistitur. Hinc conscientia stimuli, & eo major animi dejectio, quo quis sentit sua se socordia cecidisse cum stare potuisset, sicque experimento suo discit se ad præcavenda imposteriorum tot mala valde esse infirmum.

Sed infirmitas illa non est ad insipientiam: Deus enim animis sic demissis succurrit per efficacem orandi gratiam.

a) Lib. 14. de civit. Dei Cap. 13. b) Lib. 33. Meral. Cap. 11.

gratiam, qua postulant non perfunctorie, sed qua Spiritus sanctus facit eos postulare gemitibus inenarrabilibus ut loquitur Apostolus. Nemo autem, inquit Chrysoctomus a) nemo aliquando ad eum flens accessit, qui non, quod postulavit accepit: nullus ab eo beneficia dolenter postulavit, qui non impetravit, quod voluit: Scriptum est enim: respexit in orationem humilium, & non sprexit preces eorum b). Poterat quidem, ait S. August. c), nobis & non orantibus dare, sed oratione nostra nos voluit admonere, a quo accipiamus hæc beneficia. Tutiores autem vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Sed ut totum Deo detur, sanandus est superbix tumor, quem peccatores præ cordis cæcitate & duritia sanitatem putant; unde sibi nimium præfidentes oratione neglecta, totum virtuti & industriæ committunt; gratia autem sufficienti interius lucente, & movente, eo, quo dictum, modo periculosum morbum agnoscunt, & ad eum depellendum se infirmos sentiunt; sed in humilitate sua efficaciter adjuti clamant ad Dominum: *sub umbra alarum tuarum protege nos: converte nos Deus salutaris noster. Et hæc quidem ita dixerim, ut altius Dei consilium me fatear ignorare*, inquit cum S. Augustino d) laudatus Habertus e).

CA.

- a) Homil. de Moyse. b) Psal. 10. c) Conc. 27. in Psal. 118. d) Lib. de nat. & grat. Cap. 31. e) Tract. de gratia Christi edit. Aug. Vindel. in 8. pag. 620. & seq. ubi præsens thema pene exhaust; nec ullum hæcenus Theologum legimus, qui hoc argumentum accuratius pertractasset, præter Habertum, cujus proinde solidissimas hujus doctrinæ explanationes propriis ejus verbis hic describere operæ pretium fore putavimus. Vide ibidem hæc de re plura lectu digna.

CAPUT XIX.

Ut justus morali potentia per longius tempus omnia venialia peccata, etiam ea, quæ ex semiplena inadvertentia, & infirmitate subrepunt, evitare possit; necessaria sunt extraordinaria gratiæ auxilia, quæ, an, excepta B. Virgine, alicui mortalium hæctenus obvenerint? definiri certo nequit. Demonstratur Thesis ex S. Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorumque auctoritate. Quamdiu justus sine peccato veniali esse non possit? ex oratione dominica, ex Tridentino, & SS. Patrum loquendi modo determinatur. Objectio ex S. Augustino deprompta elevatur. Cur justus in hac vita cum ordinariis gratiæ auxiliis non devitet omne peccatum, cum illud devitare physica potentia possit? ratio repetenda ex commutatione, & fragilitate voluntatis humanæ. Plura scitu digna de signis proficientis animæ, de perfectione propria præsentis vitæ, deque justitiæ plenitudine, ad quam in hac vita committendum per operationem justitiæ. Hallucinatio Tournelyi, negantis exstare præceptum omnia venialia peccata devitandi, refellitur. Demum Cl. Jctum communiæ cum Pelagio causam fecisse ex Pelagiana fidei formula demonstratur.



§. CLXXIV. **P**ropos. IV. *Ut justus possit morali potentia per diuturnum tempus omnia peccata venialia, etiam ea, quæ ex semiplena inadvertentia, & infirmitate subrepunt, evitare, necessaria sunt extraordinaria gratiæ auxilia, quæ ex speciali Dei privilegio B. Virgini collata fuisse tenet Ecclesia.*

Hæc propositio probatur omnibus illis Scripturæ locis, quibus asseritur neminem, adeoque nec *justum* hanc mortalem vitam ducere a peccatis quotidianis, seu venialibus prorsus immunem: *neque enim est homo, qui non peccet a)*; & *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est b)*. Quamvis vero Scriptura haud satis exprimat neminem vivere *posse sine peccato*, sed tantum neminem *sine eo vivere asserat*; inde tamen SS. Patres possibilitatis, seu *potentiæ morali* cum actu conjunctæ negationem recte inferebant (§. XXIII.): propterea, quod negatio actus in toto aliquo genere per universum tempus arguat negationem potentiæ saltem ordinariæ, & secundum communem cursum & statum rei, qualis est *potentia morali*; cujus tamen negationem aliquatenus expressisse videtur Sapiens, cum agebat: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* c) ordinaria igitur gratiæ auxilia, quæ justis non desunt, non sufficiunt ad omnia peccata venialia per longius tempus *potentia morali* devitanda, sed necessaria ad hæc sunt auxilia extraordinaria.

§. CLXXV. Confirmatur hujus dogmatis veritas ex constanti ac universali Ecclesiæ doctrina, cujus testes sunt SS. Patres, & Concilia. Patrum auctoritates jam supra (§. XXIII.) produximus. Ex Conciliis celeberrimus est

a) 2. Paralip. Cap. 6. v. 36. & 3. Reg. 8. v. 46. b) 1. Joann. 1. v. 8. c) Proverb. 20. v. 9.



est Carthaginense plenarium totius Africae, quod *anathema* dicit illi 1) qui textum S. Joannis supra citatum, sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia ita vere est, Can. 6. 2) qui dixerit in oratione dominica ideo dicere Sanctos: *dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores*, Can. 7. 3) & qui eadem verba volunt a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur. Can. 8. Iidem Canones repetuntur in Synodo Africana universali sub Cœlestino Papa, qui Canones hos confirmat Epist. I. ad Episcopos Galliae. Denique Synodus Tridentina hanc Patrum Conciliorumque doctrinam secuta definiuit: *justificatum non posse in tota vita omnia peccata, etiam venialia vitare, sine speciali privilegio* (§. XXVIII) adeoque sine extraordinariis gratiae auxiliis, quæ potissimum duo complectuntur: 1) singularem Dei providentiam, qua peccandi occasiones arcentur, incentiva peccati remouentur, & excolendarum virtutum media suggeruntur. 2) Jugem novi semper dilectionis sanctæ fervoris inspirationem, qua animus, ne negligentia torpescat, intenditur, repentini concupiscentiæ, aliarumque passionum motus illico comprimuntur, assidua subordinatio appetitus inferioris ad rationem conservatur, mensque cœlestibus semper intenta, & in Deum defixa, *quidquid aliud diligendum venerit in animum, illic rapitur, quo totius dilectionis impetus currit* a) Hæc autem perfectio & reëctitudo haberi non potest per gratiam sanctificantem, & auxilia ordinaria ei correspondentia: quia tamen per eam restituatur subordinatio mentis ad Deum, *remanet tamen in ea corruptio quantum ad carnem*, quæ rationi non subicitur (§. CLXVI.) Unde perfectionem, seu reëctitudinem illam, quam excepta Matre Dei, mortalium

R 2

nemo

a) S. August. Lib. de doctrina Christi. Cap. 21.



nemo hactenus consecutus est, *expectamus in statu gloriae*, inquit, S. Thomas a). *)

§. CLXXVI. Quamvis autem SS. Patres & Concilia justum omnia peccata venialia vitare *in tota vita* non posse definiant; quamdiu tamen justus esse sine peccato veniali possit, non determinant. At nihilominus Oratio dominica quotidie recitanda: Concilium Trident. quod Sess. 6. Cap. 11. venialia peccata vocat *quotidiana*: & modus loquendi SS. Patrum satis innuunt, justum moraliter non posse per integrum diem ita vigilare, ut nullum veniale peccatum saltem ex *fragilitate*, aut *aliqua inadvertentia* subrepat. Unde S. Chrysostr. ait: *Quod si unius diei peccata nostra accurate recogitaremus, tunc clare nossemus, quantorum rei essemus majorum a)*. Et S. Hieronymus *potest quisque*, inquit, *etiam qui mox baptizatus est, dicere: dimitte nobis, non humilitatis mendacio, sed pavore fragilitatis humanae suam conscientiam formidantis*. Et nunquid non Sacerdos in sacra liturgia pari ad humilitatem veritate *immaculatam hostiam pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, & negligentis suis* offerre quotidie profitetur? Si christianae pietatis Principes & antesignani ita loquuntur inter aras, ex instituto Ecclesiae, quae in tremenda mysteria nec minimum

a) Quæst. 24. de veritate Art. 12.

*) An privilegium, quod B. Virgini concessum tenet Ecclesia, quodque illi S. Aug. L. de nat. & gratia C. 36. & S. Bernardus Epist. 114. attribuunt, etiam alicui alteri mortalium hactenus obvenerit? quæstio est, quæ certo defini non queat. Unde quamvis S. Augustinus affirmantem sententiam se reprehendere non audere asserat; simul tamen eam se defendere non posse contestatur Lib. de perfect. Just. Cap. 21. n. 44.

a) Hom. 20. in Matth. b) Lib. 3. contra Pelagianos.



num quidem mendacium irrepere sinit; quales esse putabimus plerosque Christianos uno plerumque religionis cortice contentos, qui salutem molli brachio attingunt? inquit piissimus *Merbesius* a) *)

§. CLXXVII. Quæ contra hoc dogma Pelagiani objiciebant, a SS. Hieronymo & Augustino solide jam refutata sunt. Objectionum vero summa hæc erat: S. Scriptura omnibus auctor est, *ut sint perfecti & integri in nullo deficientes* a); *sint perfecti, sicut Pater cælestis perfectus est* b); *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu*, inquit Apostolus ad Colossenses c); imo ipsemet se *perfectis* annumerat scribens ad Philippenses: *quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus* d). Quis vero peccatum etiam veniale perfectioni obstare dubitet? Deinde per preces publicas ab Ecclesia ordinatas petimus liberari *ab omni peccato*, oramusque, *ut ad nullum declinemus peccatum*. At nemo nisi temere dixerit ab Ecclesia præscribi preces ad exorandum aliquod extraordinarium

R 3

narium

a) Summæ Christianæ Par. I. Q. 7. edit. Paris. de anno 1683.

*) Hæc quidem intelligenda sunt de omnibus peccatis venialibus ex *fragilitate*, & *subreptione* commissis: nam sunt non pauci puri & immures ab omnibus levioribus, quæ ex proposito, & plena deliberatione contingunt, quæ proinde morali potentia vitari possunt. Quare Theologi docent votum vitandi omnia venialia primi generis invalidum esse: quia est de re moraliter impossibili; validum vero respectu venialium secundi generis: quia est de re moraliter possibili. Sed recte monet *Haberus* justis hic nihil præsumendum esse, nisi prius computaverint cum viro sapiente, an habeant sumptus necessarios ad perficiendum; ne sub prætextu majoris perfectionis incaute incidant in laqueos diaboli.

a) Jac. I. v. 4. b) Matth. 5. v. 48. c) Cap. I. v. 28.

d) Cap. 3. v. 13.



narium privilegium, vel miraculum, & non potius id solum, quod Deus præstat secundum legem ordinariam, nempe per ordinaria gratiæ efficacis auxilia: quis enim credat Ecclesiam petere gratias tantum sufficientes propter voluntatis resistentiam cum impotentia morali conjunctas, & nunquam in actum redigendas? supponit ergo omnia peccata, proinde & venialia vitari in hoc statu posse potentia morali per communes gratias, quas a Pelagio aliquando, quamquam non nisi ad *Facilius* posse, admittas diximus (§. CI.), quem propterea redarguens S. Augustinus: *Tolle, inquit, Facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, si ita dicatur: ut quod per liberum facere homines jubentur arbitrium, possint implere per gratiam a)*, ubi gratiam, quam Pelagius necessariam fatebatur ad *Facilius* posse, vult S. D. ut necessariam fateatur ad *simpliciter* posse potentia nempe morali cum actu conjuncta; sed ad *facilius* posse Pelagius aliam non requirebat gratiam nisi *ordinariam*; igitur nec Augustinus ad *simpliciter* posse aliam requirebat. Unde etiam alibi Cælestium refellens ajebat: *Si a me queratur, utrum homo sine peccato esse possit in hac vita? confitebor esse posse per Dei gratiam, & liberum arbitrium b)*; ubi vides, nullam hic loci fieri gratiæ *extraordinariæ* mentionem. Ac proinde &c.

§. CLXXVIII. Jam ergo hisce objectionibus per ordinem satisfaciendum est. Quod perinde primo loco profertur de *perfectiōe*, ad quam habendam nos Scriptura commonet & adhortatur; intelligendum esse de *perfectiōe* propria hujusce status naturæ corruptæ, quæ cum aliqua imperfectiōe consistat, S. Augustino interprete discimus, ait enim S. Doctor: *Cum ergo legitur*
in

a) Lib. de grat. Christi Cap. 29. b) Lib. 2 de peccat. merit. & remiss. Cap. 6. Et Lib. de perfect. just. Cap. 7

in Scripturis cujusque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuentum est, quoniam non adeo prorsus quisque sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur esse perfectus. Quamquam & in hoc possit ita dici, ut non, quia jam non est, quo proficiat, sed quia ex maxima parte profecit, hoc nomine dignus habeatur a).

Distinguenda igitur est cum *Haberto* duplex perfectio, altera status *patriæ*, altera status hujus *vivæ*. Illa consistit in omnimoda justitiæ plenitudine: quia nulla ibi lucta, quæ animam a se ipsa dividat; nulla membrorum lex, quæ legi mentis repugnet, sed plena charitas, qua prorsus ex toto corde, tota anima, tota mente beati Summo bono immobiliter adhærebunt, eruntque prorsus impeccabiles. Altera vero consistit in progressu & conflictatione, estque similis perfectioni; sive viatoris, qui festino, rectoque cursu ad Patriam properat; sive militis, qui anhelans ad victoriam strenue dimicat. Porro prima perfectio proponitur, ut *finis* & *merces*, ad quam contendere omnes tenemur: secunda præcipitur, ut *opus*, quo tantum præmium promereamur. Observat vero S. Thomas, finem *præcise* sumptum haud solere præcipi, sed proponi. Ita v. g. Imperator exercitus militibus proprie non imperat victoriam, sed legitimam fortemque pugnam: nec Magister proprie discipulis præcipit, ut scientia excellant, sed ut diligenter se studiis impendant. Quare nec miles, nec discipulus culpa tenentur: ille si victor non exstiterit; iste si cæteros scientia non superaverit; modo uterque partes suas impleverit, ille fortiter pugnando; iste ad consequendam scientiam omnem operam conferendo.

a) Tract. de virtutibus Theol. Cap. 3. de charitate §. 1.



Perfectio itaque hujus viæ, quæ nobis præcipitur & ad quam assequendam Deus misericorditer opitulatur, in eo tota consistit, ut concupiscentiæ, quæ habitat in membris nostris, & reluctatur menti nostræ, *ad nullum opus malum vel facti, vel dicti vel cogitati*, ut loquitur S. Augustinus, *consentiamus*, corpus castigando in servitutum redigamus, membraque nostra exhibeamus servire justitiæ, *ad anteriora cum Apostolo extendentes nosmet ipsos & ad destinatum persequentes, ad brævium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu a).*

§. CLXXIX. Hac observatione præmissa facile jam intelligitur objectos Scripturæ textus loqui de illo perfectionis genere, quam status viæ præsentis admittit, & viatorum conditio & facultas patitur, ubi dum aliquis *perfectus esse dicitur*, ut supra agebat S. Augustinus; *non tamen prorsus sine omni peccato esse intelligitur*. Natura attestante eodem S. Doctore: *nemo hic vivit absque peccato: & hoc alius majus, alius minus; optimus autem est, qui minimum b).* S. Jacobus autem vult ut *in nullo simus deficientes*: quia vult, ut juxta Apostoli præceptum in omnibus *ad perfectiora feramur c)*: nolle enim proficere, perinde est ac deficere: *Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult, & ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus*, inquit S. Bernardus d). Porro signum proficientis animæ moraliter certum est, si cupiditates minuat: si refecet multa superflua, quæ prius necessaria arbitrabatur: si minus solito sibi complacat: si a quibusdam vere illicitis absteat, quæ prius vel licita videbantur, vel saltem negligebat: si peccandi occasiones solicite declinet, & contra ingruentes tentationes acriter pugnet; ubi vero se ex subreptione, aut
fragi-

a) Ad Philip. Cap. 3. v. 14. b) Epist. 167. alias 29.
c) Ad hæbræos Cap. 1. v. 1. d) Epist. 91.

fragilitate vel leviter sauciatum advertit, vehementi dolore pungatur: si demum, qui antea humanæ prudentiæ nimis confidebat, deinceps in rebus agendis rationes æternas consulat, & in eis non tam propria lucra vel commoda, quam Dei honorem & gloriam unice intendat. Qui ergo ita comparatus est, quamvis dici nequeat, *jam non esse, quo proficiat*; profecto tamen *jam ex maxima parte ita profecit*, ut, quemadmodum S. Augustinus supra agebat, *perfecti nomine dignus habeatur*.

§. CXXX. S. Paulus *perfectis* se annumerat, ut interprete S. Augustino, *ostenderet secundum istius vitæ modum esse quandam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque noverit imperfectum a)*. Sed præterea observat S. Doctor eundem Apostolum, qui se hic versu 13. *perfectis* annumerat, paulo ante versu 12. dixisse: *non quod - - - jam perfectus sim*; quibus sibi contradicere videretur, nisi Apostolus heic locutus intelligatur de perfectione patriæ, ad quam se ipsum extendebat. Ad hanc autem perfectionem & felicitatem anhelans priori versu dicebat: *sequor autem, si quo modo comprehendam*, quod pertinet ad perfectionem vitæ: quicumque enim ita strenne currant, hos Apostolus posteriori versu perfectos dicere non dubitat; ut qui Deum perfecta charitate diligant, quatenus nullam sequuntur cupiditatem, sed indies contendunt ad majorem proficere charitatem: *ac per hoc*, ut Augustinus ait, - - *in ea, quæ perficienda est justitia multum in hac vita profecit, qui quam longe sit a perfectione justitiæ, proficiendo cognovit b)*. Et quemadmodum juxta eundem S. Doctorem, *potest aliquis esse sapientiæ perfectus auditor, cujus nondum sit perfectus & Doctor; ita potest esse perfectus justitiæ cognitor, cujus nondum sit perfectus effector. c)*

Porro

a) Lib. 4. ad Bonifacium Cap. 5. b) Lib. de Spir. & lit. C. 36. c) Lib. 2. de peccat, merit, Cap. 15.



Porro ista, quæ nobis ad perfectionem patriæ tendentibus in hac vita præcipitur, justitiæ perfectio, velut impossibilis æstimanda non est: quia tamen omnia peccata venialia *collective* sumpta declinare *moralis potentia* nequeamus; singula tamen, maxime quæ ex proposito, & plena deliberatione contingunt, *distributive* seu prout divisim occurrunt, cum ordinariis gratiæ auxiliis devitare possumus, ac debemus. *Sic ergo*, hortante nos Augustino, *curramus ut comprehendamus: omnes enim, qui recte currunt, comprehendunt. - - - Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus corpus castigando, & elemosynas in nobis dandis, malisque ignoscendis hilariter, & ex corde faciendo, & currentium vires, ut adjuventur, orando; & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis a)*

§. CLXXXI. Ad alterum, quod ex Ecclesiæ precibus opponitur, respondeo: Ecclesia dum orat, *ut ad nullum declinemus peccatum*; sicut *determinate*, non orat pro gratiis temporaneis, & transeuntibus, quas amissuri sunt reprobi: ita nec *determinate* orat pro gratiis sufficientibus, quibus homines resistant, quæque effectum non consequantur; sed orat solum *indeterminate* pro omni gratia, quæ ad vitandum omne peccatum tam mortale, quam veniale ex lege Dei ordinaria petentibus confertur; consequenter non orat pro gratiæ extraordinariæ privilegio, quod est exceptio a lege Dei ordinaria. Dum igitur Ecclesia orat, *ut ad nullum declinemus peccatum*, orat pro gratiis efficacibus tam contra peccata mortalia, quam venialia, quæ ex proposito, & plena deliberatione contingere possunt; orat etiam pro gratiis sufficientibus, quæ disponunt ad efficaces contra venialia fragilitatis & subreptionis peccata, ne tam frequenter in ea incidamus.

a) L. de Perfect. just. Cap. 8.

mus. Quod autem omnia prorsus in hac vita per gratias sufficientes effugere morali potentia nequeamus; non provenit ex imbecillitate gratiæ, aut, ut Pelagiani volebant, ex necessitate naturæ, sed ex inconstantia, & infirmitate voluntatis humanæ, quæ totas vires non exerit.

Porro hanc infirmitatem in hoc naturæ corruptæ statu Deus plene sanare noluit, quia *virtus in infirmitate perficitur*, & juxta S. Thomam servit ad *exertitium virtutis* a), & quia, ut Augustinus ait, *in ista humana miseria peior est hostis cavenda superbia: ideo nimirum non exstinguitur in carne continentium sanctorum ista concupiscentia, ut dum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admoneatur, ne securus insletur; donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perveniat sanitatis, ut nulla putredo lasciviæ, nullus tumor superbiæ formidetur* b). Unde idem S. Doctor alibi observat: *Deum justum ideo etiam sanctis suis alicujus operis justis non tribuere vel certam scientiam, vel delectationem victricem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, qua det fructum terra eorum* c).

§. CLXXXII. Ad argumentum ex auctoritate S. Augustini depromptum ajo: S. Doctorem illis locis solum contra Pelagium contendere, quod possit homo *per gratiæ auxilium* vivere sine peccato, non autem, ut volebat Pelagius, *per solas vires liberi arbitrii, naturalemque possibilitatem*. An autem ad devitandum *morali potentia* omne peccatum sufficiat gratia, quæ communiter justis confertur? an vero necessaria sit alia gratia extraordinaria, quæ de lege ordinaria non confertur? non exprimit quidem in textibus objectis: quia id instituti
fui

a) 1. 2. Q. 80. Art. 3. ad 3. b) Lib. 4. contra Julian. Cap. 2. c) Lib. 2. de peccat. merit. & remiss. C. 18. & alibi.



fui ratio tum non exigebat. Attamen posterius illud in aliis locis sat luculenter expressit: uti Lib. de Spirit. & Lit. C. 1. ubi ad Marcellinum ita respondet: *Scriptisti te moveri, eo quod - - - fieri posse dixi: ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit ope divina adjuvante; & tamen præter unum, in quo omnes vivificabuntur, neminem fuisse, aut fore, in quo hic vivente foret ista perfectio. Absurdum tibi videtur dici aliquid fieri posse, cujus ubi desit exemplum.* Tum nonnulla profert exempla eorum, quæ fieri possunt, nec tamen unquam fiunt. Deinde Lib. de Nat. & grat. Cap. 36. postquam asseruisset: de *Virgine Maria, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, se habere velle quæstionem; hanc continenter rationem adfert: quod constet ei plus gratiæ collatum fuisse ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum: tumque mox ita concludit: Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? - - - Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, - - - nonne una voce clamassent: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est?* Inde vero sequens argumentum in rem nostram sponte se offert: Perfectio & gratiæ abundantia nulli defacto Sanctorum, præterquam Christo, & SS. ejus Matri collata, est sine dubio gratia *extraordinaria*; atqui perfectio & gratiæ abundantia, quæ sufficiat ad peccatum omni ex parte *potentia morali* cum effectu conjuncta, dum hic vivitur, vicendum juxta S. Augustinum nemini Sanctorum hucusque obtigit, excepto Christo, & SS. ejus Matre: gratia igitur ad omne peccatum in hac vita morali potentia vincendum sufficiens est gratia *extraordinaria*: consequenter gratia ordinaria, quæ Sanctis communiter, & ex lege ordinaria confertur S. Do-

ctari

ctori visa fuit non sufficere ad omne peccatum *moralis potentia*, seu effectivè devitandum. *)

§. CLXXXIII. Cur porro justus in hac vita cum ordinariis gratiæ auxiliis non devitet omne peccatum, cum devitare *physica*, uti diximus, potentia absolute possit? ratio repetenda est cum S. Hieronymo (§. XXIV.) *ex fragilitate, & commutatione voluntatis humanæ, quæ per momen-*

- *) Dicitur fuit: *moralis potentia*. Nam verba S. Augustini ex cit. Libro de Spiritu & lit. non minus, quam S. Hieronymi, & S. Thomæ (§. XXIV.) satis innuunt inesse justis aliquam potentiam vitandi omnia peccata venialia, quæ, cum non sit *moralis*, dici debet *physica*: quia alioqui sine sua culpa caderent. Vide dicta (§. XCVI. & seq). Inde sequitur, ut observat M. Grandin (§. LXXIX) *B. Virginem cum speciali suo privilegio retinuisse physicam potentiam ad peccandum, quamvis moralem non habuerit. In hoc autem differebat ab anamartista Christi: quia in eo ne physica quidem peccandi potentia fuit propter visionem beatificam, qua mox ab initio ejus animæ fruebatur; quod etsi de fide non sit; cum nec Scriptura id clare exprimat, nec in ullo generali Concilio sit definitum; ex communi tamen Theologorum Catholicorum consensu verum esse constat. Unde S. Aug. Lib. 4. de consensu Evangel. Cap. ult. scribit: hominem, cujus susceptione Verbum caro factum est, distare a cæteris, quod nemini ex his concessum sit in hac vita videre Deum, quemadmodum illi. Supposita igitur visione beatifica Christus ne physica quidem potentia necesse potuit. Voluntas enim physice nequit ferri in malum; nisi sub ratione boni adparentis: malum quippe qua tale non est appetibile: atqui ratio voluntati hominis Deum intuitive videntis nihil proponere potest contrarium legi æternæ, tanquam bonum apparens, & appetibile: cum tam clare, tamque perfecte videat Deum esse summum, & omne bonum, ut necessario illi appareat malum, & fugiendum, quidquid voluntati ejus repugnat. Hanc igitur impeccantiam tum S. Augustinus cit. Libro de Spiritu & Lit., tum S. Hieronymus loco proxime citando soli Christo jure attribuit: quia ille solus nec *physicam*, nec *moralem* peccandi potentiam habuit.*



momenta variatur. Quod ipsum fere idem S. Pater inculcat, tum Lib. 3. contra Pelagianos Cap. 4 tum Dialogo 3. ubi ait: *in nostra esse positum voluntate per Dei gratiam non peccare, ut liberum servetur arbitrium; sed pro modo, & tempore & fragilitate conditionis humanae; perpetuitatem vero impeccantiæ soli servari Deo, & ei, qui verbum caro factum est. Nec quia ad breve tempus possum, coges me, ut jugiter possim, quia nempe in vitando ad breve tempus hoc vel illo peccato, prout divisim occurrat, non est tanta difficultas, quanta reperitur in vitandis per longius tempus omnibus & singulis, idque, ut §. proxime citato docet S. Thomas, propter corruptionem inferioris appetitus, cujus motus singulos ratio quidem reprimere potest, - - non autem omnes: quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, & quia ratio non potest esse semper pervigil ad hujusmodi motus vitandos.* Inde vero patet impotentiam illam vitandi omnia peccata, consequenter & peccandi necessitatem non esse ad hoc vel illud peccatum veniale, prout hic & nunc actu occurrit, determinatam; sed generalem, vagam, & indeterminatam, quæ necessitas eum fit tantum moralis libertati voluntatis nequiquam præjudicat, ut jam supra Cap. VIII. demonstravimus; de qua necessitate intelligendus est S. Augustinus, cum ait: *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas a):* *) hæc enim necessitas eodem S. Doctore contestante, *ex vitiis, non ex conditione naturæ orta est. b)*

§. CLXXXIV.

a) Lib. de Perfect. Inf. Cap. 4. n. 9. b) De Nat. & gratia Cap. 66.

*) Inde colliges: aliter dici circulum perfecte rotundum esse possibilem, quamvis sola manu sine ope circini nunquam existat perfecte rotundus; aliter vero possibile esse justo vitare omnia peccata venialia potentia physica,

§. CLXXXIV. Neque porro objicias: dubitari non posse, fuisse, esseque plures justos, qui a statu justitiæ nunquam exciderint, sed gratiam sanctificantem semel acceptam conservaverint usque ad finem vitæ; sed vero cum gratia sanctificante & ordinariis gratiæ auxiliis ei annexis nemo peccat, imo nec peccare potest, juxta illud S. Joannis: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est a)*: Ergo.

Verum perperam hic locus Scripturæ objicitur, ad quem jam pridem hæreticis eum urgentibus responderunt SS. *Hieronymus*, & *Augustinus*, ille Joviniano b), iste Pelagianis c) Itaque 1) qui natus est ex Deo, graviter peccare non potest: quia peccatum grave nequit componi cum statu justitiæ: charitas quippe, cum sit plenitudo legis, peccatum grave non compatitur, quemadmodum fides informis. Homo namque sola fide instructus, aliquando graviter peccat, quin desinat esse fidelis: justus contra non ita peccare potest, quia sic peccando desinit esse justus, & deseritur a luce veritatis, qua corruscante prius se a peccato ad Deum converterrat. Quare S. Augustinus scribens contra Gaudentium: *quod,*

etsi nunquam ea vitare contingat. Quod enim sola manu non describatur circulus perfecte rotundus, non provenit ex defectu voluntatis, quæ ad hoc totis viribus nititur; sed ex defectu aliarum potentiarum; unde defectus ille, cum sit involuntarius, non est culpabilis. Contra vero justus ideo non vitat omnia peccata venialia, quæ vitare physice potest: quia voluntas ejus nunquam ad id totas vires exerit, ac proinde defectus ejus peccatum est, qui liber, & voluntarius, prout loco supra cit, notat S. Thomas.

a) 1. Joan. 3. v. 9. b) Lib. 2. adversus Jovin. c) Lib. 2. de peccat. merit. Cap. 7. & 8. Lib. de grat. Christi Cap. 20. & Tract. 5. in 1. Joan.



quod, inquit, non potest iuste, non potest iustus; quoniam hoc decernendo prius amittit iustitiam, ut quod non potest iustus, possit iniustus a) 2) Ex eodem S. Doctore locis cit. Iustus in quantum renovatus, & ex Deo natus est; nec peccat, nec peccare omnino potest, etiam venialiter; sed quatenus est Filius carnis & sæculi, & in eo aliquid remanet ex reliquiis vetustatis, ac nondum plene sopitæ cupiditatis, quam gratia justificans plene non aufert, sed aliquid relinquit ad exercitium virtutis, ut animus periculorum admoneatur ne securus infletur (S. CLXXXI.) Nam in baptismo, inquit S. D. quamvis tota & plena fiat remissio peccatorum; tamen si continuo tota, & plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret - - - non diceret Apostolus: Etsi exterior homo noster corrumpitur; sed interior renovatur de die in diem. Profecto enim qui de die in diem renovatur, nondum totus est renovatus. - - - Proficimus ergo in renovationem, iustamque vitam, per quod filii Dei sumus, & per hoc peccare non possumus. Nunc ergo ei (Deo) & similes esse jam cœpimus primitias habentes Spiritus; & adhuc dissimiles per reliquias vetustatis. - - - Illinc ergo peccare non possumus; hinc vero si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.

§. CLXXXV. Neque demum dicas: Deus utpote Legislator perfectissimus nequit præcipere, quod novit in hac vita perfecte observari non posse; longe enim absurdissimum foret cogitare, non esse ex mente Legislatoris, ut leges ab eo latæ perfecte & accurate impleantur. Atqui vero vitare omnia peccata venialia, & ad horum nullum declinare, consequenter esse sine ullo omnino peccato, est aliquid huiusmodi, quod Deus novit in hac vita perfecte, & accurate a nobis impleri non posse, sed quod primum in altera vita relinquatur perfecte

a) Lib. I. contra Gaudent, Cap. 30.



fecte implendum: *Tunc enim erit justus sine ullo omnino peccato*, inquit S. August., *quando nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum.* a) *Hoc autem primum præceptum justitiæ - - - in illa vita implebimus, cum videbimus facie ad faciem* b). Igitur ut omnia venialia devitentur in hac vita, Deus præcipere nequit.

Verum ad hoc argumentum respondeo cum distinctione propositionis majoris: Deus præcipere nequit, quod novit in hac vita perfecte impleri non posse potentia *physica*, & perfectione propria præsentis status naturæ corruptæ; facile largior. Quod novit perfecte impleri non posse potentia *moralis*, & perfectione, quam speramus in patria; prorsus abnuo.

§. CLXXXVI. Ad plenius assequendum hujus distinctionis sensum probe isthic observandum: aliud esse, omnia vitare peccata, & ad nullum eorum declinare; aliud vero: *esse sine ullo omnino peccato*. Horum prius pertinet ad perfectionem viæ, & impletur per *operationem justitiæ*; alterum pertinet ad perfectionem patriæ, & implebitur per *plenitudinem justitiæ*. *Tunc ergo*, inquit S. Augustinus, *erit plena justitia, quando plena sanitas*, puta per extinctionem concupiscentiæ; *tunc plena sanitas, quando plena charitas*; - - - *tunc autem plena charitas, quando videbimus (Deum) sicuti est e)*. *Plenitudo ergo justitiæ juxta S. Doctorem continetur in duobus hisce præceptis: Diliges Deum ex toto corde &c. Non concupisces. Hoc vero etiam nunc nobis præcipi ait, ut admoneremur, quid fide exposcere, & quo spem præmittere - & in quæ anteriora nos extendere d), & quo in hac*
S morta-

a) Lib. de perf. just. C. 8. n. 19. b) L. de Spir. & lit. Cap. 36. n. 64. c) L. de perf. just. C. 3. n. 8. d) Lib. de Spirit. & lit. Cap. 36. n. 64. ubi loquitur de primo dilectionis præcepto.



mortalitate proficiendo conari debeamus a). Tum vero ita concludit: cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur, si quo currendum est nesciatur; quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? b)

Sunt autem in præceptis duo probe discernenda: finis nempe & media. Finis præcise sumptus proprie & directe non præcipitur, sed intenditur solum, aut ut merces proponitur; (§. CLXXVIII.) vis vero & obligatio præcepti cadunt in media. Plenitudo igitur justitiæ, ad quam duo illa præcepta referuntur, quamvis non sit implenda nisi in patria; nobis tamen hic proponitur ut finis & merces; vis autem & obligatio illorum præceptorum cadit in justitiæ operationem, quæ est medium ad obtinendam justitiæ plenitudinem, præcipiturque nobis, ut ad eam totis viribus in hac vita enitmur, quod fit 1) per continuum diligensque virtutis, & bonorum operum studium in ordine ad indies magis amplificandum charitatis regnum: 2) per assiduam vigilantiam, jugemque conatum ad minuendas concupiscentiæ vires, suppressendumque pravæ cupiditatis dominatum.

Quoniam vero in statu naturæ corruptæ moraliter impossibile est, ut quis hac in parte satis invigilet, ne ex quantulacunque negligentia cogitatio aliena, aut inordinati concupiscentiæ motus attentionem, & affectum aliquando detorqueant, neve multa hisce præceptis contraria

- a) L. 1. de Nupt. & Concup. 29. *Ad hoc ergo dixit lex: non concupisces, ut nos in hoc morbo invententes jacere, medicinam gratiæ quereremus, & in eo præcepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quo possit a nobis in illa immortalitate beatissima perveniri: nisi enim quandoque perficiendum esset, nunquam jubendum esset.* b) Lib. de perfect. just. Cap. 8, n. 19.

traria oscitante ratione subrepant: idcirco recte S. Augustinus admonuit: *perfectioni hujus vitæ hoc quoque deputari, si se quisque noverit imperfectum: eumque in ea, quæ perficienda est, justitia multum in hac vita profecisse, qui proficiendo cognoverit, quam longe sit a perfectione justitiæ (§. CLXXX.); ut hoc pacto intelligens quotidiana sibi opus esse pœnitentia, humili non minus, quam veridica prece Deum quotidie exoret: dimitte nobis debita nostra. Eo modo ergo, concludit S. D. Deus jubet omnibus hominibus, ut non faciant ullum peccatum, quamvis sit præsciens neminem hoc impleturum, ut quicumque impie & damnabiliter præcepta ejus contempserint, ipse faciat in eorum damnatione, quod justum est; quicumque autem in ejus præceptis obedientes, & pie proficientes, nec tamen omnia, quæ præcepit, implentes, sicut sibi dimitti volum, sic aliis peccata dimiserint, ipse faciat in eorum mundatione, quod bonum est. a)*

§. CLXXXVII. Postremo prætermittenda non est animadversio critica in Tournelyanam de hoc argumento doctrinam. Afferit nempe Theologus iste: *Deum non præcipere, ut omnia collective peccata venialia vitentur, sed singula duntaxat, & in particulari. b)* Ad hoc vero afferendum persuasus videtur ex erroneo hocce principio: *hominem omnia & singula peccata declinare non posse, proinde liberum non esse ad omnia collective peccata venialia vitanda c).*

Ad cavendam igitur omnem hac in re logomachiam, tollenda prius est in hac voce: *collective* latens æquivocatio. Dum ergo quæritur: an omnia *collective*

S 2

pecca-

a) Lib. de peccat. merit. & remiss. Cap. 16. b) Quæst. 4. de necess. gratiæ Art. 8. in respon. ad obj. 3. c) Ibid. ad Instabis 1.



peccata venialia vitari possint? quæstio non est: an omnia *collective* simul eodem tempore vitari possint? *neque enim omnia simul vitanda occurrunt, neque ulla est in homine facultas destinata illis omnibus simul declinandis*, ut recte notat idem Tournelyus a); ac proinde status hujus quæstionis ad hunc sensum prorsus inepte redigetur. Quæstionis ergo memoratæ sensus solum hic esse potest: an moraliter possibile sit, ut homo cum ordinariis gratiæ auxiliis omnes suas totius vitæ, aut diuturnioris temporis actiones divisim, & successive occurrentes, sed quasi in unum cogitatione collectas ita computet, quin se in ulla earum aliquando vel leviter defecisse agnoscat, sicque sibi hoc conscientiæ testimonium reddere veraciter possit: *mundum est cor meum, purus sum a peccato*, prout de B. Virgine id tanquam certum Ecclesia tenet.

Hæc autem quæstio confundenda non est cum illa altera: an vitari possint venialia omnia *distributive*, seu singula in particulari secundum se considerata, & spectata difficultate, quæ in devitatione cujuslibet singillatim includitur, sine respectu ad difficultatem, quæ ex devitatione successiva plurimum, vel omnium exurgit? hoc enim sensu omnia *distributive*, hoc est, singula in particulari cum ordinariis gratiæ auxiliis vitari posse, expedita res est, nec diffitetur Tournelyus, dum ait: *nullum esse singulare peccatum cui vitando justus pares non habeat vires* b). Dum igitur idem Theologus Conclusionem secundam definit: *hominem justum non posse toto vitæ tempore cum auxiliis gratiæ ordinariis vitare omnia peccata venialia*; posse vero juxta tertiam ejus conclusionem *cum auxiliis gratiæ extraordinariis*; conclusio ejus nequit profecto

a) Ibid. in prænotatis. b) Ibid. Concl. 2. in argumento ex ratione.

fecto intelligi de omnibus *distributive*, seu de singulis venialibus in particulari; quia ad hæc vitanda ipso, ut vidimus, fatente *justus pares habet vires*, puta saltem cum ordinariis gratiæ auxiliis. Sed neque intelligi potest de *omnibus collective* in priori, quem supra indicavimus, quæstionis sensu: quia hoc modo omnia *collective* simul vitare, ex rei natura per se & absolute impossibile est, quæ proinde impossibilitas nec *extraordinariis auxiliis* tolli potest ex ratione ab ipsomet Tournelyo supra allata. Supponit autem Conclusio vitari posse *omnia* venialia cum *extraordinariis auxiliis*; intelligi proinde debet de *omnibus collective* vitandis in altero quæstionis sensu a nobis exposito.

§. CLXXXVIII. Ex præmissa hac observatione facile jam intelligitur, Tournelyum, dum *hominem ad omnia collective venialia peccata vitanda liberum esse negat*; hoc ipso supponere ad ea omnia vitanda cum ordinariis auxiliis eum esse *physice* impotentem; siquidem cum impotentia *physica* consistere libertas nequit. Ex hoc autem principio cohærenter omnino concludit: *Deum non præcipere, ut omnia collective venialia peccata vitentur*: quippe quæ sine *extraordinariis gratiæ auxiliis*, ut Theologus iste pro explorato sumit, vitari *physica potentia* nequeant.

Verum Tournelyani hujus principii, vel potius nudi postulati falsitas jam satis liquet ex (§. CLXXXIII.), ubi ostendimus impotentiam vitandi omnia venialia, proinde & necessitatem peccandi generalem & indeterminatam, non esse *physicam*, sed duntaxat *moralem* (§. CLXXXII. Not. *), quæ voluntatis libertati non præjudicat (§. CLXXXV.) Haud ergo satis providus fuit Doctor Sorbonicus in observando discrimine, quod inter arbitrii *libertatem*, ejusque *potestatem* observandum esse ex S.



Augustino, & Richardo Victorino (§. LXXXVIII.) notavimus, simul autem (§. XCVI.) ostendimus potestatem sufficientem, seu *moralem* non peccandi potentiam abesse posse, salva semper arbitrii ad non peccandum libertate. Non observato hocce discrimine mirum non est, plures cum Tournelyo Theologos non raro in hoc argumenti genere fuisse hallucinatos.

Quare si Tournelyus ex hoc suo postulato, quod *omnia & singula peccata venialia declinare homo non possit*, recte colligi voluit: eum ad ea omnia vitanda *liberum non esse*; ostendere ante omnia ei incumberebat, hominem ad *omnia collective* in praefato sensu vitanda, sine *extraordinariis auxiliis*, non *moralis* solum, sed & *physica* destitutum esse potentia; id quod tamen falsum esse ex dictis liquet (§. CLXXXII. N. *). Tournelyum igitur in errorem hunc traxisse videtur arbitraria sua *physicae potentiae* notio, quam cum *moralis* potentia in scite eum confudisse supra vidimus (§. XCVIII.)

§. CLXXXIX Quoniam igitur praestructo semel falso, & erroneo principio totam nutare conclusionum feriem necesse est; inde facile patet, quidnam sit de Tournelyano hoc dogmate statuendum, quo dum *Deum praecipere negat*, ut *omnia collective peccata venialia vitentur*; contradicere non veretur Scripturae: *declinare a malo*; imo *ab omni specie mala nos custodire* praecipienti, Deoque, ut supra Augustinus agebat, *omnibus hominibus jubendi, ne faciant ullum peccatum, quamvis sit praescius neminem hoc impleturum*; propter *moralem* nempe impotentiam cum *physica* potentia conjunctam; quae quoniam per *ordinaria* gratiae auxilia non aufertur (§. CLXXXII.); *extraordinaria* vero de lege communi nemini in hac vita conferuntur (§. eodem): idcirco verissimum esse consequitur, quod SS. Patrum sensa secutus scripsit Anonymus

imus *quamdiu hoc fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus.* Hanc autem Anonymi doctrinam, quoniam inconsulta prorsus *erroris* censura perstringere veritus non est Cl. J. C. tus : hoc ipso facto suo palam ostendit, in damnanda catholice veritatis doctrina communem se causam fecisse cum Pelagio, qui in sua fidei formula ad Innocentium Pp. missa illos *errare* contendit, qui dicunt : *hominem peccatum vitare non posse*, seu, quod perinde est, *sine peccato vivere, vel esse non posse* *) id quod tamen inter certissimos catholici dogmatis articulos referendum esse satis hucusque demonstravimus.

S 4

CA-



*) Notat Bellarminus Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Symbolum ad Damasum Tomo ultimo Operum S. Hieronymi, quod incipit : *Credimus in Deum Patrem, & absolvitur illis verbis : se imperitum, & malevolum, vel non Catholicum, non me hereticum comprobabit* : non esse Hieronymi ad Damasum, sed Pelagii ad Innocentium Damasi Successorem. Id ostendit S. August. L. de gratia Christi Cap. 30. & tribus seq. ubi dicit : Pelagium misisse ad Innocentium Papam libellum fidei suæ ; & ibidem refert verba ejus Libelli, quæ eadem ipsa sunt, quæ in hoc Symbolo continentur.



CAPUT XX.

Humanam naturam quoad proprium naturæ bonum non usque adeo per peccatum depravatam fuisse, nullæ ut in ea vires relictæ sint ad bonum aliquod morale agendum, malumve vitandum, SS. Patrum evincit auctoritas, & confirmatur a SS. Chrysostomo, Hieronymo, & Augustino exemplis gentiliùm Philosophorum, & veterum Romanorum; quorum tamen virtutibus plerumque vitium aliquod inerat ex admixtione pravi finis. Qua in re etiam profani Scriptores consentiunt. Virtutes igitur, quas in hominibus fide destitutis Patres laudant, non erant naturales virtutum habitus, sed laudabiles virtutum actus ex naturæ bono manantes. Etiam fidelium opera ex officio bona philantiæ vitio, vanæque laudis intentione non raro inquinari SS. PP. ingenue fatentur. Hac de causa ad veri boni, veræque virtutis opus gratiam exigunt, qua ad finem ultimum supernaturalem illud referatur. Quædam a S. Augustino circa hoc thema duriuscule dicta emolliuntur; quædam cum doctrina ab eodem alibi tradita conciliantur.

§. CXC. **D**um gratiæ divini necessitatem ad observationem legis naturalis, peccatique devitationem commendari audis, istud non sic velim accipias, perinde
fi

si humana natura peccato ita depravata sit, nihil ut prorsus propriatum in ea virium remanserit, sive ad minimum legis apicem observandum, sive ad quodcumque vel levissimum peccatum sine auxilio gratiæ morali potentia evitandum, prout visum aliquando fuit *Bajo*, & qui eum in eodem errore secuti sunt, idque ex erroneo illorum principio, nempe liberi arbitrii vires ad bene operandum peccato originis fuisse penitus extinctas. Qui error cum ab Ecclesia damnatus jam sit; nihil necesse est, nec præsentis instituti ratio postulat, eidem refellendo impræsentiarum immorari.

Porro inter propositiones Bajanæ a Pio V. & Gregorio XIII. damnatas duæ cumprimis sunt, quæ præsens thema attinent. Prior 37. *cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* Altera 65. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.* Has autem propositiones ab ipsomet Bajo subinde retractatas, non præcise ob censuræ acrimoniam, ut Vasquesio visum est; sed propter latentem in illis dogmatis errorem fuisse damnatas; non solum Bajanæ retractationis exemplum abunde demonstrat, sed & Bajanæ doctrinæ opposita Patrum evincit auctoritas, ut mox videbimus.

§. CXCI. Et vero, quæ primi ethicæ christianæ Magistri de hoc argumento posthumis consignata reliquere, adeo perspicua plane sunt, ut omnem tergiversandi viam præcludant. En eorum compendia. S. Basilii: *sunt, inquit, & apud nos virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsa animæ non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura inest a).* S. Gregorius Nazianz.

a) Hom. in Cap. I. Proverb.



Zianz, fatetur: *alios natura indole ad virtutem tendere a)*.
 Ex S. Chryfostomi fententia: *nemo est adeo malus, qui non habeat aliquid boni, cujus ratione mereatur aliquid bonum temporale. b)*.

Græcis confona habent & latini Patres. Ex his S. Hieronymus: *quomodo, inquit, fides sine operibus mortua est; sic absque fide, quamvis bona opera sint, mortua computantur. c)*: imo alibi affirmare non dubitat: *etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede, puta temporaria, Dei judicio reperiri d)*: prout nempe de obftetricibus Aegyptiorum ajebat S. Gregorius: *Premium temporale fuisse promeritas. Denique S. Auguftinus postquam afferuiffet: vitam cujusbet impii sine aliquibus bonis operibus difficillime inveniri; hanc continenter rationem reddit: quia non usque adeo in anima humana imago Dei - - - detrिता est, ut nulla in ea lineamenta velut extrema remanserint; unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Et post pauca idem fere aliis verbis repetens ait: *Non enim omni modo deletum est, quod per imaginem Dei cum crearentur (gentiles) impressum est: nam & ipsi homines erant, & vis illa natura inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit e)*. Hæc omnia sane tanta sui perspicuitate præstant, nullo ut indigere commentario videantur.

§. CXCII. Majorem hæc ipsa lucem adhuc accipiunt ex illis SS. Patrum testimoniis, quibus hominum fidei gratia carentium quædam virtutum opera recte laudabiliterque facta singillatim laudantur, & commendantur. *Offendes multos, inquit S. Chryfostomus f) qui quam-*

a) Orat. 31. b) Homil. 67. ad populum. c) In Cap. 5. ad Galat. d) In Cap. 29. Ezechiel. e) Lib. de spir. & lit. Cap. 27. f) Homil. de fide & lege naturæ.

quamvis sermonem veritatis non acceperint, & foris sint; operibus tamen pietatis (ut apparet) sunt conspicui: invenies viros misericordes, compatientes, justitia vacantes; sed nullos facientes fructus operum, quia nesciunt opus veritatis: nam & hæc sunt opera bona; sed necessarium est, ut præcedat opus summum, puta opus fidei charitate formatæ, sine qua sterile est bonum opus, & inutile ad promerendam vitam æternam. Non absimile infidelibus testimonium perhibet S. Hieronymus: quum enim dixisset: natura omnibus inesse Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, & non habere in se semina sapientiæ, reliquarumque virtutum; continuo subdit: Unde multi absque fide & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, vel inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant a). — Demum S. Augustinus loco supra citato hæc præmiserat: Si autem hi, qui naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, justeque colentium, quædam tamen facta vel legitimus vel novimus, vel audivimus, vel secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus. Et alibi Romanorum virtutes deprædicans ait: Primos Romanos Rempublicam constituisse, auxisseque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum - - - custodientes tamen quandam sui generis probitatem, quæ &c. Deus enim ostendit in opulentissimo, & præclaro (Romanorum) imperio, quantum valerent civiles etiam sine vera Religione virtutes b). Quamobrem etiam sacer Scriptor eorundem Romanorum fortitudinem, prudentiam, æquitatem, indolem amicabilem &c. ceu bonas virtutes commendat c).

Hæc

a) In Cap. 1. ad Galat. b) Epist. 5. ad Marcel. Cap. 28.

c) 1. Machab. 8. v. 2.



Hæc autem virtutum specimina, bonaque infidelium opera non ex gratia, sed ex solo naturæ bono profuissent eidem SS. Doctores satis simul innuunt, dum aut sterilia ea fuisse, & *sine fructu*, puta in ordine ad vitam æternam, *) aperte fatentur; aut *quædam* eorum *naturaliter* tantum facta asserunt, illorumque virtutibus *civilis* duntaxat honestatis meritum aperte attribuant. Unde dum S. Hieronymus quædam infidelium opera velut *sancte* facta commendat, ex subjunctis ibidem exemplis perspicue apparet, eum loqui de operibus, quæ spectato officio speciem pietatis habent, ut parentibus obsequi &c. *Infideles ergo, quamvis gratia careant; remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde manifestum est,*

*) Dicitur fuit: *in ordine ad vitam æternam.* Neque enim putandum est ejusmodi opera, si pravo fine non inquinentur, ex omni parte inania esse atque sterilia: per illa quippe infidelis satis acit præcepto legis naturalis, peccatum declinat, pœnamque ei debitam; minus indignum se præbet misericordiæ a Deo consequendæ; atque demum temporale aliquod promereri præmium potest juxta Exodi Cap. 1. ubi Deus Ægyptiorum obstetricibus domos ædificasse refertur ob earum erga Hebræorum pueros impensum humanitatis officium, & commiserationis affectum.

Hujus occasione observatu dignum putem, novissime Parisiis in lucem prodierit Commentarium quemdam sub hoc titulo: *L'Exode expliqué d'après les Textes primitifs avec de réponses aux difficultés des Incrédules. De die au Roi par M. L'Abbé du Contant de la Molette. A Paris, chez Moutard 1780. 3. Vol. in 12.* Ad Caput 1. a versu 18 — 22. Auctor novam quandam punctationem proponit, quæ sensum faciat, non *Deum*, sed *Pharaonem* domos Ægyptiorum obstetricibus ædificasse. Prostat jam etiam ejusdem Auctoris Expositio in Genesim, estque præcipuus illius scopus refellere libellum quemdam Genevæ an. 1776. editum sub hoc titulo: *La Bible enfin expliquée par plusieurs Aumôniers de S. M. de Roi de Brusse, cujus Auctor esse fertur Voltaire.*

est, quod non possunt operari bona, que sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad que sufficit bonum nature, aliquantulum operari possunt, inquit S. Thomas a).

§. CXCIII. Illa porro, que in istis ethnicae superstitionis hominibus Patres commendant virtutum opera, cum eadem sunt restrictione accipienda, quam S. Augustinus verbis proxime allegatis continenter adjecit: *quanquam si discutiantur, inquit, quo fine fiant; vix inveniuntur, que justitie debitam laudem, defensionemque mereantur.* Homines namque illi philantia turgentes, humaneque laudis immodice cupidi, operibus suis virtutis licet speciem habentibus, vanæ gloriæ auram admiscere, & hujus causa pleraque fere aggredi, atque moliri assueverunt, prout id alibi idem S. Doctor egregie ostendit b), productis *Marci Catonis, Caji Caesaris,* aliorumque Romanorum heroum exemplis, collectisque pluribus ex *Salustio, Plutarcho, & Virgilio* hanc in rem sententiis. Unde merito præsumendum, plerasque id genus hominum virtutes, & pietatis specimina, extimaduntaxat facie, & secundum apparentiam, ut notat S. Chrysostomus l. c. hoc nomine digna fuisse, spectata nempe officii honestate, & fine operis; rarissima autem interno suo merito, utpote ex fine præpostero operantis plerumque vitiata: ut adeo, quod in priscis illis, primisque Romanis S. Augustinus redarguit, id ipsum quoque Gentilibus, cæterisque infidelibus accommodari non injuria possit, *eos nempe cæteras cupiditates unius laudis cupiditate,* aut alia illaudabili ratione *pressisse* c). Id quod *Camilli* patriam liberantis, & *Bruti* patriæ incolumitatem servantis exemplo demonstrat. Hinc illud Poëtæ
in

a) 2. 2. Quæst. 10. Art. 4. ad 1. b) L. 5. de civit. Cap. 12. n. 4. c) L. 45. de civit. Cap. 13.



in Junium Brutum, qui proprios natos in patriam per-
duelles morte mulctavit:

Vincit amor patriæ, laudisque immensa cupido. a) *)

§. CXCIV. Augustini judicium a profanis quo-
que Scriptoribus suffragium habet. Nam, quod, teste
S. Hieronymo in Matth., *Crates Philosophus, & multi
alii divitias contempserunt*: non desunt, qui existiment, id
eos fecisse ex impellente affectu cujusdam reconditæ
passionis, dum fortunæ iniquitatem, quæ his eos bonis
privaverat, hocce contemptu multare quodammodo cu-
piebant; aut certe hac agendi ratione præcautum vo-
luere, ut ne ipsis in probrum verti paupertas posset, in-
quit

a) Æneidos 6.

*) De Gentilium Philosophis opportune notat *Calmeius* nô-
ster Dissert. de salute Gentilium, Comment in Episto-
las S. Pauli præfixa: — Audaces illos & superbos tan-
tum se habere virium, ac scientiæ existimasse, quantum
vitiis excindendis, atque ad se ab affectuum impetu in-
tuto ponendos valeret. Quis unquam vidit Philosophos
pectus tundentes, plangentes, orantesque, criminum suo-
rum coram Deo exomologesim habere, imbecillitatem
suam plorare, spem suam in ipso collocare, & quidquid
in ipsis boni esset, accepto illi referre? *Quis unquam,*
ait Cicero de Nat. Deor. *de virtute sua grates Diis egit?*
*Aguntur illis quidem grates de acceptis divitiis, oris ve-
nustate, cæterisque exterioribus donis, sed propriæ singu-
li virtutis auctores sumus.*

Det vitam, det opes; æquum mi animum ipse parabo.
Horat. Ep. 18. L. 1.

En Philosophiæ Paganitiæ indoles: en Philosophorum tu-
mor & superbia. Sapiens ille est, qui est totus apertus
ex sese, quique in se uno sua ponit omnia.
Cicero Paradox. 2. Hæc de se stoicus Philosophus: — —
Sapiens uno minor est Jove — — Horat. Ep. 1. L. 1.

quit *Roschefoucaultus* a). Et nunquid non exorbitantis arrogantiae specimen *Diogenes* præbuisse visus est, quum euclitiam Platonis calcans diceret: *calco fastum Platonis?* Quod si ex vero divitiarum, vel luxus contemptu id eum dixisse contendas; haud desunt tamen, qui perinde nihil aliud eum spectasse existiment, nisi ut passionum abjectissimæ, quam in squalido sordidoque cultu corporis, affectatæ singularitatis fastu, reponebat, adhærere tanto liberius posset b). Quod si demum istorum hominum indolem singillatim curatius discutere voluerimus, fors non rogati in sententiam *Crevierii* concedemus, qui *Catonis* viri a probitate morum, vitæque honestate ceteros inter celebratissimi biographiam hocce demum epiphonemate absolvit: *fastuosam nempe animi firmitatem, atque constantiam, quæ principiis stoicæ scholæ conformis erat, argumento esse, humanam Philosophiam eo valere, ut unum vitiorum alio vitio propulset* c). Hujus vero rationem laudatus *Roschefoucaultus* loc. cit. hanc adfert: *quod in humano corde assidua sit passionum colluctatio, ita ut destructio unius sit alterius passionis restauratio.*

§. CXCIV. Hæc autem eo cumprimis fine heic commemoranda duximus, ut facile quisque intelligat, pleraque id genus, quæ in Ethicis se deprehendisse laudati Patres asserunt virtutum facinora, eaque præsertim, quæ circa difficiliora, magisque in hominum oculis conspicua versabantur officia, plerumque ob pravi finis admixtionem sub extima virtutis larva, vera reapse vitia contexisse. Non ergo in eis locum habere poterunt ulli moralium virtutum *habitus*, quos utique unus alterve actus circa faciliora, quæ *S. Hieronymus* (§. CXCH.)

memo-

a) *Maximes* p. 54. n. 10. b) Anonymus Opusculi: *Le vrais Philosophe* theotico sermone Pragæ anno 1777. editi Part. 3. Sect. 2. c) *Histoire des Empereurs Romains.*



memorat, legis naturalis præcepta, præter consuetum agendi motem fors haud mala intentione consentaneæ ad rectam rationem ex naturæ bono subinde elicitus progignere tanto minus potuit, quo magis exploratum est, adquisitos moralium virtutum habitus haud nasci fungorum instar unica luna, sed diutina, frequentique actuum exercitatione generari.

Quam rara vero, ac infrequens fuerit apud homines illos virtutum, bonorumque operum exercitatio, vel ipsimet, quos laudavimus, Patres non obscure innuunt, dum eos *aliquid tantum boni* habere — sine *aliquibus* bonis operibus difficillime inveniri, atque etiam Gentiles non multa quidem, sed *aliqua* tantum sapienter agere — *aliquid* legitimum — *aliqua* tantum legis facere — *quædam* solum facta vituperari non posse — bonum *aliqua*liter operari posse contestantur. (§. CXCI. & seq.) Unde & S. Thomas loco supra cit. subjunxit: *infidelem posse aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis.*

§. CXCVI. Neque mirum videri cuiquam debet, si tanta esse potuerit, atque etiamnum sit apud infideles intentionis perversitas; postquam iidem SS. Patres humiliter non minus quam veridice confitentur, plurimas quoque *fideli*um actiones eodem sæpissime philautiæ vitio inquinari, & exquisitioris propriæ nævis plerumque adeo scateri, ut quamvis teste S. Gregorio M. *mirum non sit, si quis bona inchoet; valde tamen mirabile sit, si intentione recta in bono opere perseveret a*). Omnes, inquit S. Chrysostomus, *ad hominum opiniones spectamus, & gloriam ab illis venamur b*): & *in bonis nihil esse ducimus, quod habeamus Deum admiratorem; sed a conservis requiri-*
mus

a) Lib. 22. Moral. Cap. 24. b) Homil. 24. in Genes.

mus famam, & bonam existimationem a). Quam familiare vero isthoc vitium sit ex S. Hieronymo discimus, qui ad cuiusque conscientiae testimonium provocans: *conveniat, inquit, unusquisque cor suum, & in omni vita inveniet, quam rarum sit fidelem animam inveniri, ut nihil ob gloriae cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat.* - - - *Vicina sunt vitia virtutibus: difficile est Deo tantum iudice esse contentum b). Fatendum est igitur cum S. Gregorio supra laudato, quod rectam quidem intentionem nostram, quae soli Deo placere appetit, nonnunquam, utinam non saepius, intentio minus recta, quae de donis Dei placere hominibus quaerit, insidiando comitatur c). Hinc etiam S. Augustinus recte notat: cetera vitia tantum in malefactis valent; sola autem superbia in recte factis cavenda est d). *)*

T

§. CXCVII.

a) Homil. 12. in 1. Corinth. b) Dia'logo Orthodoxi cum Lucifer. Cap. 6. c) Lib. 35. Moral. Cap. 16. d) Lib. de nat. & grat. Cap. 27.

*) Ad hanc superbiam in benefactis facilius cavendam sequentia cuique prodesse motiva poterunt, quae non Patres modo, sed & Gentilium Philosophi experientia ipsa, lumineque rationis edocti consignasse noscuntur. Ex Patribus: *impossibile esse, aiebat S. Chrysostomus, ut qui arctam virtutis viam ambulat, & mandata sequitur Christi, ab omnibus laudetur, & in admiratione sit.* — — *Nam celebrari ab omnibus, maximum fuerit argumentum, non magnam haberi virtutis rationem.* Quare in operibus virtutis intendere hominum gloriam, & laudes venari, turpe esse cum aliis SS. Patribus docet S. Thomas 2. 2. Quæst. 132. Ex Philosophis audiendus Cicero, & Aristoteles, quorum ille Lib. 1. Offic. Cap. 19. in magnis viris non esse habendum, putat, qui ex ore imperitæ multitudinis pendet: atque inde cavendam esse gloriae cupiditatem concludit; alter vero 4. Ethic. Cap. 3. observat: *Magnanimo curam non esse ut laudetur, magis eum curare veritatem, quam opinionem.*



§. CXCVII. Quamvis igitur SS. Patres opus aliquod ex officio bonum naturæ viribus velle, ac facere hominem posse non prorsus abuant; quoniam tamen simul probe noverunt, quam proclive, pronumque sit hujusmodi opera aut pravi finis inquinamento pollui; aut saltem rectæ intentionis omnia ad Deum referentis defectu non eo, quæ oportet, modo peragi; consequenter vix, & ne vix quidem esse undique, seu ex omni parte bona, sed, si non ex parte operis, saltem ex parte operantis plerumque vitiosa: siquidem juxta S. Augustini principia: *quidquid fit ab homine boni, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit*: (nempe propter Deum) *etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est* a): hinc porro jam in aprico est, cur SS. Patres gratiæ necessitatem ad omne opus bonum ita commendent, ut sine ea nihil *veri boni*, nihil *veræ virtutis* fieri posse sedulo, constanterque adimoneant? cum primis vero S. Augustinus, cujus firma, stabilisque semper doctrina fuit, opus ex officio bonum, nisi ad ultimum finem supernaturalem ex virtuali saltem intentione referatur, & ad vitæ æternæ meritum proficiat (quod sine gratia Christi fieri omnino non posse aliunde exploratum est) nec *veri boni*, nec *veræ virtutis* nomen, laudemque mereri, prout idipsum plus simplici vice S. Doctor inculcat: *si ergo, inquit ille, ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est vera, promittit, nihil profunt hominis virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes.* b) *) Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum

a) Lib. 4. contra Julian. C. 3. n. 21. b) Loc. cit. n. 19.

*) Super hunc S. Augustini celebrem textum vide Animadversionem nostram, quam in tractatu de officio hominis erga Deum (§. XXXIV.) Partis primæ subjunximus.

bonum hominis, quo melius non est. a) Et ideo virtutes, quas sibi videtur habere mens veri Dei nescia, nisi ad Deum retulerit, & ipsæ vitia sunt potius, quam virtutes b). Quia in re, ut singularitatis invidiam a se amoliatur, ad testimonium omnium veraciter piorum provocans affirmare non dubitat: *illud inter omnes veraciter pios constare, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu veram posse habere virtutem c)*. Unde & loco supra citato agebat: *absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus d)*. His conformiter S. Thomas: *simpliciter, inquit, vera virtus sine charitate esse non potest e)*: ideoque fidem in peccatore, quam informem vocat, *pertingere ad perfectionem virtutis negat f)*.

§. CXCVIII. Nec movere quemquam debet, virtutes ad Deum non relatas a S. Augustino *vitia potius dici quam virtutes*. Nam non eo, quod absit, sensu vitia dicuntur, tanquam si interne, & in se ipsis ob hujus relationis defectum vitia forent; sed quoniam comparate ad veras, & ex omni parte perfectas, minus perfectæ sunt; in quantum videlicet earum perfectioni deest æternus quasi decor in actiones ex officio, & sine proximo bonas ob ulteriorem eorum ad finem ultimum relationem quodammodo redundans. Unde alibi S. Doctor monuerat: *quod perfectioni nostræ deesse perspexeris, hoc vitium voca g)*. Cæterum dici haud incongrue posset, virtutum officia, quæ in se ipsis bona sunt, & in Deum referibilia; si porro tamen, quod nunquam vitio caret, in Deum non referantur, habere sibi adjunctam quandam maculam, non intrinsece quidem officiis ipsis insitam

T 2

sitam

- a) Lib. 5. de Civit. C. 14. n. 4. b) L. 19. de Civit. C. 25. c) Lib. 5. de Civit. C. 19. d) L. 4. contra Julian. Cap. 3. n. 17. e) 2. 2. Q. 23. Art. 7. in ☉ f) 2. 2. Q. 4. Art. 5. g) Lib. 3. de Lib. arbit. C.



fitam, sed tamen in eodem sibi subiecto, seu operante confociatam, ut adeo, si actus in Deum relatus *totaliter*, seu tota ex opere, & defectu relationis complexio consideretur, cum hac ratione vitium, peccatumve dicere nihil vetet. Atque hoc sensu accipi fors posset illa cæteroque duriuscula S. Doctoris expressio, qua contra Julianum scribens contendebat: *eum, qui non facit opera bona, intentione fidei bonæ, hoc est ejus, quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis velut membris operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum a).*

§. CXCIX. Quod si quis tamen S. Doctorem illic de fidelium operibus pravo fine plerumque vitiatis, & eatenus peccato inquinatis interpretandum esse pertinacius contederet; tum interpretatio hæc accommodanda erit ad sensum alterius propositionis a S. Augustino subinde prolatae, qua Julianum affatus ajebat: *omne, velis, nolis, quod non est ex fide, puta per dilectionem operante, peccatum est b).* Quemadmodum autem in sensu
moralis


- a) L. 4. contra Julian. C. 3. b) Ibid. Cap. 3. n. 32. Hujus occasione nota S. Augustinum de infidelium operibus disputantem haud semper satis exactam scribendi rationem tenuisse, ut propterea ex nonnullis ejus sententiis solitarie spectatis in suspicionem apud quosdam venerit, perinde si opera in Deum non relata vera esse peccata aliquando affirmasset. Attamen a Juliano postea exagitatus, suam deinceps mentem apertius expressit asserens: *possunt ergo aliqua bona fieri, non beneficientibus his, a quibus fiunt. Loc. cit. n. 22. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare, puta ipso opere, non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur, ibid. n. 21. peccato nempe omissionis defectu debita relationis. Deinde de Gentilibus, qui naturaliter aliqua, quæ legis sunt, utcumque fecissent, subdit: eos nihilominus hoc ipso peccasse, intellige peccato omissionis: quia homines illi sine fide, non ad eum finem opera ista*
retri-



moralis hæc universalis propositio: omnis æthiops totus niger est, vera est, esto minima sui parte oculis nempe, dentibusque niger ille non sit: ita etiam propositiones hæc: omne, quod agit infidelis, peccatum est — totum corpus infidelium operibus velut membris constans, plenum est nigredine peccatorum, moraliter acceptæ veræ sunt, eo quod potissima actionum series ob pravi finis circumstantiam apud infideles peccati labe infecta sit, tametsi extraordinarie, ac præter consuetum agendi morem unum alterumve actum sine perversa intentione elicatum vitio subinde carere contingat.

T 3

CA-



rerulerunt, ad quem referre debuerunt. Ibid, n. 25. Tum vero objicienti Juliano: si gentilis nudum operuerit, nunquid, quia non est ex fide, peccatum est? apertius mentem suam explicare coactus S. Doctor respondet ibid. n. 30. non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Quod si vere more extraordinario hujusmodi opera etiam ex parte operantis, consequenter undique & ex toto bona esse subinde contingat; ut si eadem propter Creatorem, quem ignorare non possunt, ab infidelibus peragi aliquando supponatur; tum, quia, nisi Deo adjuvante id fieri nequit, vult S. Doctor, ut fateatur hæreticus: eadem ipsa opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed ejus qui bene utitur malis. Ibid, n. 23. ; nec proinde in Apostoli sententia: omne quod non est ex fide peccatum est, illa intelligenda esse, quæ sunt dona Dei, n. 27.

CAPUT XXI.

Aliæ difficiliores S. Augustini phrasæ illustratæ: quo nempe sensu ab eo dictum sit: neminem de suo habere, nisi mendacium & peccatum: — liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere: — ad bonum nihil valere: — Prorsus si defuerit gratia, hominem nihil boni agere posse. Cum Synodus Diospolitana, aliique Patres gratiam ad singulos actus dari definiunt, actiones moraliter tantum, & ex officio bonas non comprehendere, sed ad actus salutares restringendam esse ex rerum adjunctis demonstratur. Demum S. Hieronymi, & plurimum Rom. Pontificum de eodem argumento dicta accuratissime explicantur.

§. CC. **H**aud porro diffitendum, occurrere in Scriptis S. Augustini difficiliores quasdam circa præsens thema phrasæ & expressiones, quæ spectato verborum cortice cum alias ab eo tradita doctrina (§. CXCI. & seq.) haud satis constare videantur; ut cum asserit: *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum a)*: *liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet b)*: *Neque liberum arbitrium nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via c) *)*:
libe-

a) Tract. 5. in Joan. b) L. 3. ad Bonifac. c) Lib. de Spirit. & lit. Cap. 3.

*) Inter damnatos Baji articulos notatu dignus est 28. iidem S. Augustini verbis expressus; qui proinde non in recto S. Doctoris, sed in pravo Baji eum proferentis sensu

liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil valet, nisi adjuvetur ab omnipotente bono a).

Sed hæc commoda interpretatione, si quid durius habent, facile emollescent. Non sunt igitur phrasæ istæ in sensu absoluto accipiendæ, tanquam si nemo unus pares ex se ipso vires habeat ad minimum quodque opus ex officio bonum, legique conforme perficiendum; aut tanquam si libero arbitrio desit *vis illa natura, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit*; cujus oppositum a S. Doctore traditum supra vidimus (§. cit.) Quoniam vero a receptis hermenenticæ regulis prorsus abhorret, ambiguas, & obscuriores alicujus cætera probi Scriptoris sententias in eum cogere sensum, qui principiis alias ab eo apertius traditis repugnat; sequitur profecto citata S. Doctoris verba non in absoluto illo, quem notavimus, sensu, sed cum aliqua restrictione esse accipienda, nimirum in ordine ad *salutem animæ, vitamque æternam*. Nam comparate ad hanc illa tantummodo in considerationem veniunt, quæ vel ad ipsam seu impetrandam, seu promerendam quomodolibet conducunt, uti actiones ex gratia actuali procedentes; vel quæ ab ea consequenda remorantur, uti peccata, quæ nemo aliunde nisi ex se ipso habet, & ad quæ sine adjutorio Dei liberum sufficit, valetque arbitrium. Ceteri vero actus, qui neque peccata sunt, nec a gratia originem habent, tametsi naturali honestate vestiti sint, a S. Doctore prorsus non attenduntur: quod neutro ex dictis modo ad salutem animæ comparentur; cumque

T 4

illis

sensu damnatus supponi debet. Qua de re vide Tractatus de officio hominis erga Deum animadversionem I. pag. 187 ubi sensum propositionis damnatæ uberius exposuimus.

- a) L. de corrept. & grat. C. 11. b) L. 4. contra Julian. C. 3.



illis nulla post mortem addicta sit merces, quasi pro nihilo reputentur.

Est igitur genuinus iste dictorum sensus: quod videlicet in supremo divini tribunalis iudicio, ubi summus, justusque Iudex cuique juxta opera sua redditurus est, ratio duntaxat habenda sit operum, quæ a mala voluntate procedunt, ut puniantur; nulla vero operum naturalium, pro quibus merces in altera vita rependatur, hocque pacto *nemo de suo habeat nisi mendacium & peccatum, liberumque arbitrium per se nihil valeat, nisi ad peccandum*. Cum enim pro nihilo reputetur, quidquid per naturæ vires facere potest; nihil consequenter hac in parte valere, nec de suo quidquam, quod præmiari a Deo mereatur, habere recte censetur.

§. CCI. Dicit quis forte, S. Augustinum non affirmare solum, quod *liberum arbitrium non nisi ad peccandum valeat*, sed præterea adjicere, quod *ad bonum nihil valeat, nisi adjuvetur ab omnipotente bono a)*. *Nec posse hominem boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est a gratia Dei per Jesum C. D. N. b)*. Quid? quod alibi præcise, & universaliter asserat: *prorsus, si defuerit gratia, nihil boni agere poteris, — cum dico sine adjutorio Dei, nihil boni dico c)*.

Verum S. D. sui ipsius interpretis est, qui loco sæpe jam citato Julianum affatus agebat: *Quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona, non tamen ea ad salutem sempiternam, regnumque perducere: scito, nos illud bonum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine gratia Dei, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducere, puta vel remote via impetrationis ante remissionem peccatorum;*

a) Lib. de corrept & grat. Cap. II b) L. I. ad Bonifac. Cap. 3. c) Serm. 3. nunc 156. de verbis Apostoli C. 11. n. 12.

catorum; vel proxime via *meriti condigni* post adeptam justificationem, prout id ipsum S. Doctor non obscure inquit, dum in expositione Psalmi 142. ad illud: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, sciscitando mentem suam aperit: *quæ, inquit, mea bona opera sine tuo adjutorio computantur, unde impetrem, dignusque essem deduci a Spiritu tuo in terram rectam?* Inde liquet Augustinum opera solum moraliter bona, nec ad vitam æternam conducentia, non accensere illis bonis, quæ sine gratia Christi non habeantur: quorsum enim doctrinam suam ad operæ bona restringeret, quæ conducunt ad salutem æternam, si nulla opera bona ab his diversa agnosceret? *)

§. CCII. Ne quid vero circa præsens thema præteruisse videamur, operæ pretium fore judicavimus quædam adhuc aliorum Patrum, Synodorum, Pontificumque testimonia in speciem adversa curatius expendere, & genuinum eorum sensum determinare. Sunt autem, quæ objici passim solent, fere sequentia.

Synodus Palæstina, seu Diospolitana definivit: *gratiam Dei ad singulos actus dari.* Nam Pelagium adegit ad

*) Cave, inde inferas: voluisse S. Doctorem opera, quæ ad vitam æternam nihil conferunt, *mala dicenda esse, atque peccata*, quod ejus principiis adversari supra ostendimus. Ad summum ergo ex laudatis verbis erui posse videtur, opera ex officio bona, si sterilia sint, & ad salutem æternam nihil conferant, inter veri nominis bona non censeri, potiusque *non bona* dici merito posse, seu minus perfectæ comparate ad bona superioris ordinis, seu salutis meritoria; eo fere sensu, quo Deus Judæis dedisse dicitur *præcepta non bona*, id est minus perfectæ comparate ad excellentiora novæ legis præcepta. Cæterum hucusque allatas difficultiorum Augustini locorum explanationes affatim sufficere puto ad plures alias obscuriores sententias in præsentī materia commode interpretandas.



ad retractandam hanc suam propositionem: *gratia Dei, & ejus adjutorium non ad singulos actus datur.* Huic vero oppositam doctrinam *semper tenuisse Ecclesiam*, notat S. Augustinus a) eamque recenset inter 12. Articulos, quos firmissime se scire dicit *ad fidem rectam, veram & catholicam pertinere* b). Unde & postea Patres Africani ad Lozimum Papam scribentes agebant: *in bonis quibusque humanæ voluntatis singulis motibus magis Dei valere auxilium.*

Deinde S. Hieronymus, quem Synodi Diospolitanae, utpote in eadem provincia tempore suo celebratae, sententia latere non potuit, nunquam retractasse legitur, quod in Epistola ad Ctesiphontem paulo ante illam Synodum scripserat, ubi, quid Catholici contra Pelagium sentirent, ita exposuit: *nihil nos boni agere absque Dei auxilio, sed per opera singula Dei esse omne bonum, quod agimus, Deumque semper nos adjuvare* c). Nec ante Pelagium quemquam tantam virtutem liberi præsumpsisse arbitrari, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret, scribit Vincentius Lirinensis d). Demum Ferrandus Diaconus inter regulas militi Christiano præscriptas, hanc omnium primam ab eo exigit, ut credat *gratiam Dei ad singulos actus dari* e). Hæc omnia vero perspicue indicant gratiam, auxiliumque Dei pro omnibus universum operibus ita a Patribus exigi, ut nullum omnino, quamvis exile adeoque & naturalis ordinis ab illius necessitate eximi patiantur; imo & Patres Arausicanæ Synodi II. Can. 22. absolute definiant: *neminem habere de suo, nisi mendacium & peccatum.*

§. CCIII.

- a) Epist. 106. ad Paulin. b) Epist. 107. c) Cit. Epist. Cap. 3. d) In suo de profanis vocum novitatibus libello cui titulus: *Commonitorium adversus Hæreses* sub nomine *Peregrini.* e) Lib. de officio militis Christiani.

§. CCIII. Hæ, & aliæ generales Patrum sententiæ, ac præsertim phrasis illa usitata: *gratiam ad singulos actus dari*, ne cuiquam fraudi sint; ante omnia monendus est lector, eos a recta interpretandi via ac ratione plurimum aberrare, qui mox atque unam alteramve sententiam in Veterum scriptis arripuerint, ea continuo in rem suam definiunt, ceteris, quæ ad argumentum controversum spectant, quæque lucem clariorem adferre dictis possent, aut penitus inconsultis, aut plane neglectis; cum tamen iusta interpretandi methodus, legesque hermeneuticæ postulent, ut genuinum Scriptoris sensum ex aliorum locorum collatione eruere, aut certe ex scopo, aliorumque adjunctorum consideratione evolvere admittatur. Hujus proinde canonis ratione habita nemini obscurum esse poterit, phrasim illam Patribus communem: *gratiam Dei ad singulos actus dari*, aut *per singulos actus ea nos adjuvari*, non aliter, quam cum restrictione *ad actus salutares, seu ad vitam æternam quomodolibet conducentes* intelligi oportere. Hanc quippe limitationem, aut iidem Patres, alique Scriptores synchroni aperte exprimunt, aut circumstantiæ rerum eandem perspicue manifestant, ut mox videbimus.

§. CCIV. Imprimis igitur Palæstinæ Synodi verba cum restrictione ad actus *salutares* intelligenda esse extra omne dubium est: hujus enim definitionem cum Pelagii, & Cœlestii damnatione sub eadem hac limitatione repetitam legimus in Synodo *Carthaginensi* plenaria Africæ præsentibus 214. Episcopis, biennio post, id est anno 417. celebrata, cujus S. Augustinus meminit a), & cujus verba integra refert S. Prosper in libro contra Collatorem Cap. 10. & iterum Responsione 8. ad Capitula Gallorum, ubi sicut & in Chronico b) notat Concilium

a) Epist. 47. b) Corrigendus est hujus Chronici error, qui in numerum romanum irrepit, dum Concilio Carthaginensi



cilium hoc a Sede Apostolica approbatum fuisse, & in toto terrarum orbe receptum. In eo autem referente Prospero Patres ita decernunt: *Constituimus in Pelagium & Caelestium per Venerabilem Episcopum Innocentium de beatissimi Apostoli Petri Sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur: gratia Dei per Jesum C. D. N. non solum ad cognoscendam, sed etiam ad faciendam justitiam (eam utique, quam Scriptura commendat) nos per actus singulos adjuvari; ita ut sine illa nihil verae, sanctaeque pietatis habere, cogitare, dicere, aut agere valeamus.* Profecto autem supervacanea prorsus fuisset hæc ad actus verae sanctaeque pietatis restrictio, si generali illa sententia etiam actiones moraliter tantum, & ex officio bonas, quales subinde sine gratia etiam ab ethnicis fieri posse Patres aperte fatentur, (§. CXCI. & seq.) comprehendere Synodus illa voluisset, aut a S. Hieronymo, Patribusque Diospolitanis, & Africanis aliquando comprehensas existimasset.

§. CCV. Et si quidem porro eadem Carthaginensis Synodus testante Prospero a Sede Apostolica approbata, totoque terrarum orbe recepta fuit; prudenter supponi nequit, illam Synodicae definitionis ad actus verae, sanctaeque pietatis limitationem Lirinensis, Ferrandique notitiam effugisse; cum praeterea coævus Patres eadem ad opera pietatis restrictione usos sæpe fuisse ignorare neuter potuerit. Augustinus enim pluribus locis mentem suam clare exponens: *gratiam Dei, inquit, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam sine illa fieri non posse dubitet a).* Non minus perspicue docet S. Fulgentius: *nullum esse, qui naturaliter - - - possit aliquid boni velle,*
quod

ginensi Episcopos CCXVIII. interfuisse scribit: nam alibi idem Prosper memorat tantum CCXV Præfules interfuisse.

a) Lib. de grat. Christi Cap. 26. & alibi passim.

quod pertinet ad vitam aeternam a). Demum Petrus Diaconus, qui suum de Incarnatione & gratia Christi librum ad S. Fulgentium, aliosque Africæ Episcopos scripserat, postquam Cap. 6. dixisset *per gratiam dari homini cogitare & desiderare, quæ pertinent ad vitam aeternam*; ita postremo concludit: *Sine hac igitur gratia potest quidem (homo) cogitare, & desiderare humana; non autem potest cogitare, aut velle, seu desiderare divina.* Quum igitur Vincentius Lirinensis, quem quædam Augustinianæ doctrinæ Capita vellicasse notum est, illam S. Augustini limitationem redarguisse nusquam legatur; Ferrandum vero, qui fidus semper S. Fulgentii discipulus erat, doctrinæ sui Magistri contraria sensisse præsumi omnino nequeat: hæc ipsa profecto rerum adjuncta abunde suppetunt, ut & horum generalia dicta, quibus actus singulos gratiæ Dei in acceptis referunt, ad sensum ejusdem Synodi, eorundem SS. Patrum cum eadem ad actus salutares, vel opera pietatis restrictione intellecta ab eis fuisse, nec proinde ultra, quam fidei obsequium exigat, exporrigenda esse concludamus.

§. CCVI. Canonis demum Arausiacani sensus ex ipso ejus titulo facile determinari posse videtur: agit enim *de his, quæ hominum propria sunt.* Cum igitur postea dicit Canon: *neminem habere de suo nisi mendacium & peccatum*; generaliter accipiendum est, ut scilicet de suo quis dicatur habere, quod ita ei proprium est, ut a Deo non acceperit, nec ullam Deus in eo partem habuerit. Hoc autem pacto verissimum est, neminem habere de suo nisi mendacium & peccatum; utpote cujus malitia neutiquam in Deum, sed in solam causam a Deo, & lege Dei deficientem, videlicet in perversam hominis voluntatem referenda est. Quare Concilium istud non
solum

a) Lib. de Incarnat. & gratia Jesu Christi Cap. 19.



solum hic agit suis Canonibus, ut doceat ad quæ bona necessaria nobis sit Dei gratia per Christum parta; sed etiam ut universum ostendat, quam nihil homo possit propriis viribus etiam in rebus ordinis naturalis sine auxilio Dei in genere, seu generali ac communi Dei concursu.

Quænam vero sint illa bona, ad quæ vires naturæ sine gratia Christi non suppetant? jam ante Canone 7. idem Concilium his verbis exposuit: *si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere - - posse affirmat &c. hæretico fallitur Spiritu non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: sine me nihil potestis facere*, supple juxta Canonem 5., *sicut oportet*. Hæc autem Canonis exceptio firmat omnino regulam in contrarium, nempe, per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem non pertineat, cogitare & eligere quemlibet posse, quamvis non sine generali Dei auxilio; sine hoc autem neminem de suo habere nisi mendacium & peccatum, cujus malitia ita homini propria est, ut ad habendam eam nullo prorsus opus habeat Dei adjutorio. *)

§. CCVII.

*) Nota: quamvis docente S. Anselmo Lib. de concordia gratiæ & lib. arbitr. Cap. i. *Deus omnia faciat, quæ justa, vel injusta voluntate fiunt, id est bona opera, & mala; in bonis tamen facit, quod sunt, & quod bona sunt; in malis vero quod sunt, non quod mala sunt: sic enim tanquam merus a recto ordine defectus causam efficientem nullam habent, sed in causam deficientem, pravam nempe, ut diximus, hominis voluntatem refundi unice debent*. Nam ex S. Thoma Quæst. 3. de malo Art. 2. ad 1. *difformitas (actionis) consequitur ex hoc, quod liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinæ. Nec offit, quod defectus & deformitas hæc cum actione intrinsece mala inseparabiliter conjuncta sit*. *Est enim, inquit idem S. D. in 2. Dist. 37. Q. 2. Art. 2.*
ad

§. CCVII. Sed rursus obmovere quis posset: S. Hieronymus non solum asserit: *Dei auxilio per singula opera nos adjuvari*; sed irrestricta plane sententia porro definit: *nihil nos absque eo boni agere, sed Dei esse omne bonum, quod agimus*. Quid? quod his consona docuisse inveniuntur plures Pontifices, iique cum primis, qui Pelagii dogmata impugnasse noscuntur. Sic Innocentius I. asserit: *voluntati liberae non nisi adiutorium Dei esse necessarium, eamque nihil valere caelestibus praesidiis destitutam*. a). Zoimus ad omnes orbis Episcopos scribens sciscitatur: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus (Dei) non indigeamus auxilio?* b) Caelestinus I. scribit: *Deum ita in cordibus hominum, atque in ipso operari libero arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, Omnique motus bonae voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus* c). Inter Canones Concilii Arausiaci. II. a Bonifacio II. approbatos his consentanea habet Canon nonus: *quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur*: & Canon 22. verbis ex S. Augustino d) desumptis expressus ita habet: *nulla facit homo bona, quae non Deus praestitit, ut faciat homo*. Denique S. Gregorius Mag. Sciendum, inquit, quod mala nostra solummodo nostra sunt; bona autem nostra, & omnipotentis Dei sunt, & nostra: quia ipse aspirando nos praeventit, ut velimus, qui adjuvan-

do

ad 5. *cristi*, inquam, in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sunt, non oportet, ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum: sicut natura est causa oculi, quantum ad suam stantiam ejus, & non quantum ad defectum caecitatis, qui ex natura defectu incidit.

- a) Epist. 23. ad PP. Concilii Milevitani, quae inter Epistolas S. Augustini est 95. b) Refert haec Caelestinus, I. Epist. ad Episcopos Galliae Cap. 9. c) Epist. 1. contra Massilien. Can. 6. d) Lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. Cap. 9.



do subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere, quod volumus a). Pontifices igitur hi uno ore pari cum S. Hieronymo doctrinæ ita conspirant, ut *absolute nihil boni sine Deo*, adeoque sine gratia *facere nos posse* conceptis verbis affirmant. Si nihil boni? ergo nec boni aliquid ordinis naturalis sine Deo, ejusque gratia fieri potest, sine quo nihil boni fieri potest.

§ CCV II. Verum ita quidem argumentari possent, qui in solo verborum cortice hærentes, litteræ sonum magis, quam sensum attendunt. Quamvis autem ob verborum cum superioribus Patrum sententiis (§. CXCIV.) analogiam hæc Pontificum dicta cum eadem *ad actus salutare* restrictione interpretari possent, ac debeant, si per *auxilium Dei*, *divinique adjutorii* nomine solam *Christi gratiam* Pontifices illos heic intellexisse ponas. Attamen vellem, qui ita statuunt, paulisper advertant, in proxime allegatis textibus nullam determinate mentionem fieri medicinalis *gratiæ Christi*, sed expressius semper generalem istic sermonem esse de *auxilio* — vel *adjutorio Dei* — *de Deo operante* — *bona præstante* — *adjuvante* — *cooperante* — ita ut *nihil sine Deo nos posse* dicamur. Hic autem expressionis modus *generalis* cum sit; haud improbabilem conjecturam fundat, Pontifices illos generica illa sua loquendi ratione diligenter cavere id solummodo voluisse, ne in actibus singulis, seu supernaturalis seu naturalis tantum ordinis illæ sint, quidpiam libero sic attribuamus arbitrio, quin Deum præcipuas in eo partes semper habere agnoscamus; sive quod tanquam auctor naturæ causas secundas, ipsunque etiam liberum hominis arbitrium mediante adjutorio *communi*, seu *generali* suo *concurso* ad actiones singulas moveat, & applicet, utpote in quo, teste

Apo-

a) Homil. 5. in Ezechielem.

Apostolo, vivimus, movemur, & sumus a), qui operatur omnia in omnibus b); sive quod ceti auctor gratiæ respiciens in faciem Christi sui auxilio speciali, seu gratia efficaci omne salutis opus semper præveniat, adjuvet, atque perficiat juxta illud Apostoli: Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate c).

§. CCIX. Ne quis vero arbitrariam esse hanc interpretationem existimet, eam Aquinatis auctoritate confirmamus. Is vero in suo in Caput 15 Joannis commentario ad illa verba: sine me nihil potestis facere: Ecce enim, inquit, Dominus hic dicit, quod sine ipso non solum magna, sed nec minima; imo nihil facere possumus. Nec mirum, quia nec Deus sine ipso aliquid facit: supra C. I. sine ipso factum est nihil. Opera enim nostra, aut sunt virtute naturæ, aut ex gratia divina. Si virtute naturæ; cum omnis motus naturæ sint ab ipso verbo Dei; nulla natura ad aliquid faciendum moveri potest sine ipso. Si vero virtute gratiæ, cum ipse sit auctor gratiæ: quia gratia & veritas per Jesum Christum facta est; manifestum est, quod nullum opus meritorium (puta sive de condigno, sive congruo) sine ipso fieri potest. Quare idem S. Doctor, ubicunque concedit aliquid boni posse fieri sine gratia, semper addit: non tamen sine auxilio motionis divinæ, qua in omnibus operatur, aut aliud quid simile d). Secundum hanc ergo interpretationem, singula, quæ obijciuntur, Pontificum, & si quæ sunt aliorum Patrum testimonia, facili quisque negotio poterit conciliare.

V

§. CCX.

- a) Act. 17. v. 28. b) I. Cor. 12. v. 6. c) Philipp. 2. v. 13. d) In 2. Dist. 28. Q. 1. & 1. 2. Q. 109. utrobique per omnes Articulos. Id si advertisset, simulque superiorem S. Thomæ commentarium præ oculis habuisset Vasquezius, fors Disp. 190. haud ita præidentius scripsisset: Quod si velis juxta varias materias, de quibus in his Articulis tractat, ipsum (S. Thomam) interpretari, nunc



§. CCX. Eandem interpretationem magis porro verifimilem facit & scopi ratio, & quæ tum fervebat, controversiæ status. Intenti namque in id potissimum fuere laudati Pontifices, aliique ejusdem ævi Patres, ut Pelagiani erroris zizania, quæ tum adhuc in multorum animis altas fixere radices, funditus extirparent. Dubitari vero nequit cætera inter Pelagianæ hæresis Capita hæc fuisse præcipua: 1) Liberum arbitrium semel a Deo creatum, & sufficiente virtute instructum, movere, & adplicare semetipsum ad proprios actus sine ullo Dei adjutorio, aut motione superaddita: quippe qua fatalem induci necessitatem, sicque libertatis jura violari Pelagius causabatur a). Imo 2) indignum Deo putabat, Ipsum circa hominum actiones ita occupari, ut in singulis, etiam minimis operibus, ad Dei adjutorium, seu prædictam motionem recurrere necesse sit b). Et quamvis 3) sub ipsum hæresis initium gratiam Dei in solo libe-

ro

de auxilio Dei moventis, nunc autem de auxilio gratiæ moventis; hanc explanationem non ex aliquo verbo S. Thomæ, sed ex tuo cerebro depromes, ac proinde frivola censeri debet. At majore merito frivola aliis videbitur hæc Vasquezii censura, manifesta in Aquinatis doctrina evolvenda oscitantæ adscribenda.

- a) *Nec ultra (Dei) indigemus auxilio; ne, si indigerimus, liberum frangatur arbitrium, a)ebat Pelagius ex Hieronymo Epist. ad Cresiphontem. Unde postea in Synodo Diospolitana Art. 10. damnata est hæc Pelagii assertio: non est liberum arbitrium, si Dei indigest auxilio.*
- b) *Constat id ex eodem Hieronymo L. 1. Dialog. contra Pelagium circa initium, ubi cum Pelagius sub nomine Critoboli objecisset: si in singulis rebus, quas agimus, Dei utendum est adjutorio; ergo & calamus temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manuque aptare litteris — — loqui, ambulare — — comedere, & cætera hujusmodi, nisi Deus juverit, non poterimus? Respondet Hieronymi nomine Atticus admissa illatione: juxta meum sensum non posse perspicuum est.*

ro arbitrio, doctrina, & lege fitam diceret a); postea tamen a Catholicis exagitatus, gratiam *internæ illustrationis*, deinde vero etiam *inspirationis*, sed ad *faciliorem* dumtaxat legis observationem admittebat; *sed tamen posse hominem sine gratia, etsi difficilius, divina facere iussa* b), identidem contendeat. 4) Denique postremo gratia *operis*, sed æque ad *facilius* dumtaxat operandum, admiffa, gratiam tamen *voluntatis*, qua voluntas ad agendum bonum a Deo præparetur, constantissime inficiabatur c). Cum igitur erroribus his summatim refellendis aptissimus omnino sit generalis ille, quo laudati Patres, atque Pontifices usi sunt, loquendi modus, prout consideranti patebit: eum consequenter hunc in finem ab iisdem consulto adhibitum fuisse, non est, cur ambigendum putemus.

§. CCXI. Quod si demum Patrum aliqui nullum opus bonum determinate sine *gratia Christi* fieri a nobis posse asserant; tum eos non nisi de eo, quod *vere bonum* est, etiam quum hac limitatione non adjecta, more Scriptoribus sacris usitato, *absolute* loquantur, intelligi oportere, ex generalibus eorum principiis supra jam indicatis (§. CCI. &c.) manifestum est. Juxta hæc vero eorum principia illud solum *veri boni*, perinde ac *veræ virtutis* rationem habere creditur, quod ad summum æternumque bonum refertur, quodque proinde finem supernaturalem respicit, & consequenter ad vitam æternam quoquo modo conducit. Ad hanc autem con-

V 2

sequen-

- a) Ex Articulo, quem in Synodo Palæstina Pelagius retrahere compulsus est; & ex S. Augustino Lib. de hæresibus, hæresi 88. Lib. de Spirit. & lit. Cap. 2. b) Idem Aug. loc. cit. & de gratia Christi Cap. 26. c) Idem Lib. I. contra duas Epist. Pelagian. Cap. 19. *dixisti, inquit, hominem in bono opere Dei gratia semper adjuvari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur.*



sequendam cum ordinis naturalis opera, etsi aliqua ratione, nempe spectata officii, finisque proximi honestate, bona, nihil conferant; idcirco mirum videri non debet, si a sanctis illis fide illuminatis, plenisque charitate viris sterilia hujusmodi opera velut vana, inania, atque adeo tanquam nullius momenti ac ponderis censeantur, & tanquam alienius considerationis vel aestimationis indigna reputentur, idque secundum illud ab Augustino Tract. 102. in Joan. opportune memoratum: *Quidquid aliud petitur, præter divinam gratiam, & vere beatam vitam, nihil petitur: non quia nulla omnino res est; sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est.*

CAPUT XXII.

Hucusque expositam Patrum doctrinam Juri divino credendorum & agendorum consonam esse subjuncto triplici paradigmatè ostenditur. Ex horum singulis corollaria deducuntur ad christianam morum disciplinam, ad commendandum frequens necessariæ orationis studium, salutaremque operum praxim recte, & cum fructu instituendam, eamque adversus perniciofa quedam laxioris moralis principia firmandam commodum attinentia.

§. CCXII. **H**oc jam pacto meliori in lumine collocata circa thema præcedens SS. Patrum doctrina; peropportuna porro se offert occasio subjiciendi nonnulla, quæ inde colligi posse videntur sanioris ethicæ documenta, ad rite, utiliterque promovendam christianam morum

morum disciplinam, eamque adversus pernicioſa laxioris moraliſ principia firmendam commodum attinentia. Sequemur autem iſtic propria Cl. Jcti noſtri inſtituta, qui inter Poſitiones: *de nexu, & discrimine Juris divini agendorum cum jure credendorum*, hanc ordine primam ſtatuit: *credenda divinitus revelata eſſe propter agenda &c.* moxque Poſitione altera: *utriuſque juris divini nexum & fructum ſola praxi omnino percipi aſſeverat, cujuſ promovenda gratiæ nonnulla flexanimi nexuſ paradigmata ſubjungit.* Noſ igitur ſecundum hanc ejus normam confirmandæ Patrum doctrinæ gratia, alia quædam utriuſque juris divini nexuſ paradigmata ſubjungenda duximus, opportunis ad ſalutarem operum praxim corollariis illuſtrata. Sit itaque

Paradigma I.

<i>Credenda</i>	propter	<i>Agenda.</i>
<p>Quoniam ex ipſo (Deo) & per ipſum, & cum ipſo ſunt omnia</p>		<p>Ipi gloria in ſæcula. Rom. II. 36.</p>
<p>In ipſo vivimus, movemur, & ſumus Art. 17.</p>		<p>In omnibus honorificetur Deus I. Petri 4. v. II.</p>
<p>Qui operatur omnia in omnibus I. Cor. 12. v. 6.</p>		<p>Omnia in gloriam Dei facite I. Corinth. 10.</p>

§.CCXIII. *Coroll. 1.* Ergo homo chriſtianuſ nequaquam ſatisfacere officio ſuo cenſenduſ eſt, ſi ſola naturali operiſ honeſtate contentuſ, altiſ non aſſurgat, ut omneſ actioneſ ſuaſ ex motivi ſupernaturaliſ impuſſu, puta ex intentione ſaltem virtuali ſiniſ ultimi, diviniæque gloriæ perficere, & omnia ad ſinem charitatiſ, qui Deuſ eſt, ordinare omni ſtudio, ac contentione fatagat. Hanc



profecto obligationem cuilibet homini, ac cumprimis Christiano cum deliberatione agenti impositam, non solum proxime adducta *juris credendi* motiva suadent; sed & subjuncta *juris agendi* præscripta manifeste demonstrant; præcipue vero illa Apostoli, quam supra adduximus, ad Corinthios sententia, quam præcepti vim habere, ex obvio verborum sensu cum SS. Patribus S. Thomas non solum recte colligit; sed ne porro hujus obligationis vim ad curandam duntaxat operis honestatem, vi cujus actio quodammodo ad Deum ex se ipsa *naturaliter* referatur, restrictam putemus; simul aperte docet, præceptum illud exporrigi ad actum etiam *moralem* & *liberum* voluntatis tendentis in Deum, qui aut operibus jungatur actu, aut præeat intervallo, quo virtus ejus non dissipetur, sed cujus vestigia quodammodo in actionibus se consequentibus resplendeant a) quæ est relatio illa *virtualis explicita ex parte operantis*. Hanc autem nisi omnibus imperatam Apostolus credidisset; profecto non erat, cur omnia cum explicita relatione *in gloriam Dei* facienda urgeret; satis utique fuisset, *ut omnia honeste & secundum ordinem fiant* b) fidelibus semel inculcasse.

§. CCXIV. *Coroll. II.* Ergo spuris merito accensenda illorum laxioris moralis Theologorum sententia, qua

- a) In 2. Dist. 38. Q. 1. Art. 1. ad 4. *Ad hoc*, inquit, quod alicujus actionis finis sit Deus, non oportet, quod agendo illam actionem aliquis de Deo cogitet; - - - sed oportet, quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est Deus, & quod ratio actus sequentes in hunc finem ordinaverit, ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur. Deinde vero in 2. Dist. 40. Art. 5. ad 7. Et Opusculo 18. de perfectione Cap. 5. eodem fere modo præceptum Apostoli explicat. Sed de hoc Apostoli testimonio vide, quæ in Tract. de officio hominis erga Deum toto Cap. 2. P. 2. fasce disserimus. b) 1. Cor. 14. v. 40.

qua asseritur homini ad statum gratiæ elevato ad vitium etiam ex parte operantis cavendum satis esse, si operetur propter finem honestum, seu conformiter ad regulas a ratione præscriptas, nec ullo adstringi præcepto, ut motivo supernaturali in agendo ducatur; aut saltem, cum homo & Philosophus sit, & Christianus, secernenda esse opera, quæ Christianum decent, ab iis, quæ Philosopho conveniunt. Hinc paradoxum illud quorundam ratiocinium: *homo agit tanquam Christianus in his functionibus, quæ proprie sunt hominis Christiani, e. g. in suscipiendis vel administrandis Sacramentis, in profitenda fide &c.* Tunc debet agere ex ratione supernaturali; alioquin harum rerum dignitate abuteretur, si ex motivo tantum naturali faceret. In aliis vero, quæ non sunt proprie Christiani, potest non agere ex motivo supernaturali: quia non agit in his tanquam Christianus. Inde vero haustam putem thesim illam a quodam Professore Antissidorensi publice olim defensam, qua asserebatur: *Christianum deliberate agentem non semper esse obligatum ad agendum conformiter fini supernaturali: quia personam Christiani deponere potest in his actionibus, quæ non sunt proprie hominis Christiani.* Sed huic doctrinæ portento tota virium contentione merito se opposuere duo Archiepiscopi, *Senonensis nempe, & Camaracensis a)*. Atque ex his demum principiis pullulasse videtur nimis laxa recentiorum quorundam auctorum opinio, novissime etiam a R. P. *Dominico Schram* Benedictino Bantheni adoptata, & in suo *Theologiæ Compendio b)* his verbis expressa: *ut opera nostra, & operans simul a peccato eximantur, non requiritur relatio virtualis explicita in Deum; sed sufficit implicita, sc. quod opus sit honestum ex objecto, & nullis malis*

V 4

circum-

a) In opere inscripto: *Dissertation sur les Bulles contre Bay, ou l'on montre, qu'elles ne sont pas recues par l'Eglise.* Edit. 1737. b) Tom. II, pag. 75.



circumstantiis, nec ullo malo sine vitietur. *) Haud equidem demirandum auctores illos, quos presso pede secutus est *Schramius*, talia doctrinae monstra obtrudere potuisse, utpote rationi corruptae potius, quam Patrum auctoritati in rebus ad mores spectantibus deferre assuetos a). At religiosum hunc virum relicto Majorum suorum magisterio talibus minorum gentium didascalis discipulum se praebuisse res oppido mira, & tanto viro parum certe digna; praesertim cum in rem suam nihil adeo solidi attulerit, cujus causa iuste recedere potuisset a trita Patrum suorum semita, quam *Paschasios, Radbertos, Remigios, Lanfrancos*, magna olim Benedictini nominis lumina, aliosque, & cum his novissime Rfs. *Bedam Seetverum* Praesulem apud Juvavienses piissimum religiosissime tenuisse jam alibi ostendimus b).

§. CCXV. *Coroll. III.* Ergo non omnes propterea motivo supernaturali, in agendo duci censentur, quod putent & lingua sua exprimant se propter Deum operari. Sunt enim multi, quibus idem, quod in Pharisaïs Christus olim redarguit, applicari non injuria possit. *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: populus hic labiis*

*) Nescio plane, quo consilio actus sit Vir ille doctus ac religiosus ad Dei causam Majorum suorum ingratis tam prompte deserendam: prorsus enim incredibile nobis videtur, ut adductis pro defensione deterioris causae tam proleteriis, saepiusque ex adverso solide convulsis, & elevatis argumentis de doctrinae suae veritate convinci serio ac sincere potuerit. Interim viderit ille, an non hoc suo specimine Friburgensis Recensentis judicium plenius confirmaverit, quod in ejus *Institutiones Juris Eccles.* &c. prolatum est in Nova Bibliotheca Ecclesiastica Friburgensi Fasciculo I. pag. 140.

a) Vide Tract. nostrum de officio hominis erga Deum Part. II. Animadver. ad §. V. b) Ibid. P. II. §. XXXIII.

labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me a). Unde juxta S. Bernardum: *Usitatus Sermo: propter Deum - - - crebro sonat in ore hominum, a quorum corde longe esse probatur b).* Illud vero illi cumprimis habent, cur merito timeant, qui nimiam præsentis vitæ sollicitudinem, nec non inordinatam, & cum dissipatione spiritus conjunctam ad exteriora negotia effusionem cohibere negligunt, quippe propria nixi industria, neglectoque orationis studio, toto naturæ impetu ad exteriora, puta ad agriculturam, mercaturam, lectionem, studiumque litterarum &c. effunduntur. Horum quippe actiones, nisi animus frequenter se ad intra recolligat, plerumque ex naturali, & humano affectu, nempe aut civilis honestatis, aut alendæ familiæ, aut captandæ benevolentia, aut faciendi quæstus, aut scientiæ comparandæ motivo procedunt, tantoque magis timendum est, ne totum sibi opus natura vendicet, quo quisque magis se in illud præcipitem ferri senserit, utpote temporaliter utile, & consuetis moribus delectabile: quæ enim juvant operationem naturalem, ea plerumque impediunt supernaturalem. Quare nisi anima corruptibili corpore aggravata potentiori ac efficaciori adjutorio super se elevetur, & quod est difficillimum, amorem sui, superbiam & omnem naturalem affectum comprimat, & supernaturali delectatione determinetur; ex motivo naturaliter delectabili operabitur: adeo ut quemadmodum delectatio appetitus sensitivi impedit, ne voluntas sequatur judicium rationis; ita honestas humana, ardor naturalis amicis suis familiarissimis subveniendi, vel absolvendi officii, ad quod quis vel naturaliter, vel ex usu propendet, vel terminandi negotii, aut operis necessarii, & per jucundi, omnem mentis attentionem ad se trahunt, sterilisque remanet divina inspiratio veluti extraneus furculus arbori

a) Math. 15. v. 7. b) Serm. 9. in Psalm. 90.



bori insertus, qui arescit, nisi amputentur connaturales rami, in quos truncus succum propensius transmittit, prout egregie observat *Habertus*.

Quamobrem ad præcavendam omnem hac in re illusionem necesse cumprimis est, ut affectus ille in nobis sit, quem exterius lingua proferimus: neque enim is amore benevolentiae Deum diligere, atque ad ejus gloriam vere, ac sincere opera sua referre censendus est, qui ita quidem in orationibus ingeminat: *sanctificetur nomen tuum*; aut illud: *omnia ad majorem Dei gloriam*, frequenter in ore habet, ut tamen non tangatur interiorius, cum ejus honorem lædi viderit, nec ad se pertinere putet, si alii Deum seu vereantur, seu contemnant, aut si indifferenter, nedum delectabiliter audiat linguam maledicam, detrahentem, vel impudicam &c. imo si ipsemet peccata levia, nedum gravia parum curet, quin ea facile committat, cupiditates refrænare negligat, & universim mores suos, vitæque rationem ad Evangelii normam componere pro virili non contendat. Qui enim hujusmodi sunt, tantum abest, ut se motivo supernaturali in agendo duci confidere possint, quod potius timere jure debeant: se ex eorum esse numero, de quibus dictum: *Dilixerunt Deum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei a), non est in ore eorum veritas b),*

Para-

a) Psal. 77. 36. b) Psal. 5. v. 10.



Paradigma II.

Credenda	propter	Agenda.
<p><i>Præsumentes de se, & in virtute sua gloriantes humilias.</i></p>	<p>Qui gloriatur, in Domino gloriatur. 1. Cor. 1. v. 31.</p>	
<p><i>Gratia estis salvati per fidem & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus - -</i></p>	<p>ut ne quis gloriatur. Eph. 2. v. 8. & 9.</p>	
<p><i>Quis te discernit? quid aurem habes, quod non accepisti? si autem accepisti; - - -</i></p>	<p>Quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Cor. 4. & ideo: soli Deo honor & gloria 1. Tim. 1. v. 7.</p>	

§. CCXVI. Coroll. I. Ergo in negotio cum primis salutis nihil naturæ virtuti, nihil propriæ industriæ, vel conatibus nostris, sed juxta S. Cyprianum ab Augustino laudatum, totum Deo tribuendum a): quia ejusdem S. Doctoris judicio: tutiores nos novimus, si totum Deo demus b): Quod explicans Cardinalis Toletus: Augustinus inquit, existimat totum esse gratiæ: quia Deus facit hominem cooperari, & determinat arbitrium hominis, quia dat, ut velle possit, & facit velle c). Istud vero quidam sequioris ævi Theologi haud satis considerantes a vero Christianæ humilitatis Spiritu exciderunt, dum contra jus credendorum, & agendorum proximo paradigmate expressum, superba Pelagianæ arrogantiæ figmenta obtrudere, atque non sine manifesto summi in moribus scandali periculo dogmatizare veriti non sunt: in opere salutari

a) S. Cyprianus in expositione orationis Dominicæ a S. Augustino loc. mox citando laudatus. b) Lib. de dono persever. Cap. 6. c) Annot. 4, in Cap. II, ad Rom.



salutari libero arbitrio propriam industriam, laudemque suam esse servandam. Si quis gloriatur de sola cooperatione libera, per suum arbitrium ad actum bonum, hunc non fore insipientem, sed veridicum a). Gloriari posse hominem, non quidem in se solo, sed tum in Domino, tum deinde in se: quia cum adiutorio gratiæ consenserit, & cooperatus fuerit Domino b). Adeo namque verum est, quod jam olim de sui ævi inquietis, ut ait, Spiritibus S. Gregorius Mag. notavit: qui veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri erroris fiunt c). An non enim similia Pelagius docuit? quem S. Augustinus ita locutum refert: in voluntate, & opere bono laudem (proinde & gloriam) esse & hominis & Dei d). At contra S. Doctor constanter inculcabat: in nullo gloriandum, quoniam nostrum nihil est e): tutiores nos vivere si totum Deo demus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus f): quia teste S. Gregorio Mag. suis contra Deum donis pugnat, qui accepta dona sibi (etiam solum ex parte) arrogat g).

§. CCXVII. Corollar. II. Ergo libera hominis voluntas per gratiam excitata, & adjuvata, operis salutaris & meritorii causa dici partialis nequit; quamvis cæterorum quin active, & libere ad illud concurrat: neque enim, ut Augustinus ait, & hoc ita fit in nobis, tanquam nihil facientibus nobis h). At quoniam ex eodem S. Doctore: agit omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum i); ipseque facere dicitur, quod, ut faciamus, facit k): imo tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut

quæ

- a) Auctore & locis apud Petrum Tamburini Dissertatione jam sæpe laudata p. 76. citatis. b) Valentia in Commentariis Theol. Tom. 2. Diss. 8. Quæst. 3. c) Lib. 4. Moral. Cap. 17. d) Lib. de gratia Christi Cap. 4. e) Id. velut a S. Cypriano dictum refert L. 4. contra duas Epistol. Pelagian. f) Loco supra sub Lit. b) cit. g) L. 9. Moral. Cap. 1. h) Epist. 194. alias 105. i) L. de grat. & lib. arbitr. Cap. 21. k) Epist. cit.

qui Spiritu Dei aguntur, agere vix intelligantur a): inde manifestum est, atque palpabile, voluntatem hominis *causam partialem* operis meritorii dici omnino non posse. De ratione enim causæ partialis est, ut alteram adjuvet, ejusque efficaciam propriam adjungat. Istud vero, cum de voluntate cum gratia concurrente asserere Catholicorum nemo ausit: inde patet, quam merito in Congregatione 35. de auxiliis explosi sint, qui ex præpostere intellectis Apostoli verbis: *non ego, sed gratia Dei mecum*, duas partiales boni operis causas, gratiam scil. & voluntatem distinguebant, neutiquam assecuti vim verborum ejusdem Apostoli, *quid habes, quod non accepisti*. — *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere*; ut proinde cum S. Cypriano Augustinus rectissime admonuerit: *totum Deo dandum*, etiam ipsa justii merita, & *non illi ex parte, & nobis ex parte*: quia ut idem S. D. ait: *cum Deus coronat merita nostra nihil aliud coronat, quam munera sua*. — — *Nec ideo, quia non meritis datur* (vita æterna) *sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur b)*. Et rursus: *sine ulla, inquit, dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini c)*. De hoc plura Exim. Gazzaniga d).

§. CCXVIII. Corollar. III. Ergo quamvis ex bonis operibus fiducia nascatur in Deum juxta illud S. Joannis: *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum e)*; imo tamen si fiducia in operibus vere bonis *absolute* poni cum Psalte, f) & Apostolo g) possit; ita ut fidenter cum S. Augustino dicere quisque sibi bene conscius valeat: *feci, quod jussisti, imple quod*
pro-

a) Lib. de gestis Pelagii C. 3. b) Epist. cit. c) Lib. de corrept. & grat. Cap. 15. d) Diss. II. Cap. 4. de gratiæ necessitate ad singulos adus n. 160. e) I Joan. 3. v. 21. f) Psalm. 17. v. 21. 25. g) 2. Tim. 4. v. 8.



promisisti: in praxi tamen multis de causis fiduciam in bonis operibus nostris ponendam non esse docet ab Ecclesia præscripta orandi formula: Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus.

Nec immerito. Nam 1) haud satis nobis constat, an opera nostra in Deo sint facta, & ex recta intentione procedant? (§. CXCV.) teste enim S. Gregorio: *sæpe opus nostrum causa est damnationis, quod putatur esse profectus virtutis.* 2).

Nullum opus meritorium est, nisi sit supernaturale, & ex Spiritus sancti motione procedat: atqui vero absque speciali Dei revelatione certo scire nemo potest, an Spiritu Dei moveatur: *nescit enim homo, utrum amore, aut odio dignus sit a).* Quis ergo in praxi in bonis operibus fiduciam ponat? 3) Adeo frequentes sunt lapsus nostri, ut veniam petere videatur tota nostra iustitia, meritoque timendum sit, ne Deus nos projiciat a facie sua, & *Spiritum sanctum suum auferat a nobis, ac efficacia retrahat auxilia, sine quibus nemo perseverat. Credendum enim est, inquit S. Augustinus, quosdam - - non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquamdiu fideliter & juste vivere, & postea cadere, neque de hac vita, priusquam id contingat auferri b).* Unde monet Apostolus, *cum metu & tremore salutem nostram operari.* *) Demum ideo in praxi fiducia in bonis operibus ponenda non

a) Lib. de corrept. & grat. C. 13. b) Homil. 3. in illud: *elevatorum est cor ejus (Oziæ).* 2. Paralip. C. 26.

*) S. Augustinus Lib. de dono persever. Cap. 22. methodum utiliter prædicandi Mysterium Prædestinationis tradens, ferendum non esse dicit, qui prædestinationem sic prædicaret: *si qui jam obeditis, sed si prædestinati non estis; subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis: hoc enim dicere inquit, quid aliud videtur esse, quam maledicere,*
aut



non est: quia semper periculum subest, ne propterea inflemur, goriemurque in nobis instar Evangelici Pharisæi Luc. 18. Namque ex S. Chrysolomo: *nihil perinde gignit superbiam, ut bona conscientia, nisi advigilemus. Unde & Christus sciens, quod post benefacta nos hic moribus adoritur, dicebat discipulis: cum feceritis omnia, dicite, quia servi inutiles sumus. Quando ergo nihil arbitramur operatos egregium, amplius etiam ob talem meremur affectum, quam propter opera ipsa, quæ facimus a). Quid ita? quia nempe juxta S. Gregorium: Sanctus vir, omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab æterno arbitrio stricte judicetur b). Hinc illud S. Augustini: *Væ! etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia (Deus) discutiatur eam. Atque ex his nullo negotio conciliare licebit, quæ sibi in speciem adversari videntur tum Scripturæ, tum SS. Patrum testimonia, ubi sermo est de merito, operumque bonorum fiducia.**

Para-

aut mala aliquo modo prophetare? Hunc autem loquendi modum, etsi verissimum, improbilissimum tamen dicit: non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito. Vult ergo, ut ista non proferantur in secunda persona, quasi in audientium frontem compellantur; sed in tertia tanquam ad absentes dirigantur: si qui jam obediunt, sed in regnum ejus, & gloriam prædestinari non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt. - - - Illum etiam modum - - - non existimo sufficere, nisi hoc, vel hujusmodi aliquid addat, ut dicat: vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum - - - sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos: quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur.

a) Lib. 9. Moral. Cap. 1. b) Lib. 9. Confess. Cap. 13.



Paradigma III.

Credenda propter *Agenda.*

Deus operatur in nobis vel- Cum metu & tremore salu-
le & perficere pro bona volun- tem vestram operamini. Ibid.
tate. Philipp. 2. v. 13. v. 12.

Non est volentis, neque cur- Oportet semper orare. Luc.
rentis, sed miserentis Dei. Rom. 18. vigilate itaque omni tem-
9. pore orantes. Luc. 21.

§. CCXIX. *Corollar I.* Ergo Deus non solum con-
gruis modis suadet, aut hortatur amicorum more, ut bo-
num velimus, & operemur, sed ipse operatur in nobis, &
velle & perficere, seu ut S. Thomas ait: dat ipsum actum
liberum, quem neque prudens Consiliarius, neque Ora-
tor disertissimus dare, sed solum expetere possunt. Quid
autem ex hoc dogmate colligit Apostolus? An forte,
quod nobis opus non sit industria, sed otiosi expectare
debeamus, quoad usque Deus sua gratia nos assumat, &
ad id, quod bonum est, potentissima sua voluntate tra-
hat? Absit. *Cum metu, & tremore.* inquit, *salutem ve-*
stram operamini; hoc est, *Haberto* interprete, cavete peri-
culæ, vigilate, timete eum offendere, ejus auxilium vo-
bis adeo est necessarium & propriæ infirmitatis conscii,
corda ad eum erigite, in oratione perseverantes; sicut
enim iustis volentibus & conantibus gratia non deest,
qua mandata Dei possibile fiunt, prout ab Innocent. X.
& Alexandro VII. definitum est; ita negligentibus, &
de se præsumentibus dicitur: *apprehendite disciplinam ne-*
quando irascatur Dominus & pereatis de via justa a). Por-
ro juxta S. Bernardum: *Soli in adjutorio altissimi habitant,*
qui id solum obtinere desiderant, id solum amittere trepidant,
sedula circa illud, & sollicita cogitatione versantes - - -
Beatus

a) Psal. 2. v. 12.

Beatus plane qui sic habitat in adiutorio altissimi; quia in protectione Dei cæli commorabitur. a)

§. CCXX. Corollar. II. Nullus ergo de naturæ viribus, & legis naturalis quantacunque scientia cum Jcto nostro ita confidere debet, ut sine frequentis orationis exercitio, atque præsidio, propriis naturæ viribus legem Dei servare, diuque sine peccato perseverare se posse existimet. Nam ex Augustino: valet quidem liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo & faciendo; desertum vero divino adiutorio, qualibet scientia legis excedat, nullomodo habebit justitiæ soliditatem, sed inflationem impie superbiæ, & exitiosum tumorem b) Unde ex eodem S. Doctore, admonentur omnes, ne dona Dei suæ potestati tribuendo, seseque extollendo gravius pereant, quam si nihil operarentur boni quibus dicitur: cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. - - - Quare cum timore & tremore, & non potius cum securitate, si Deus operatur? nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, citro potest subrepere animo humano, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet, & dicat in abundantia sua non movebor in æternum. Ideo qui in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit faciem suam ut qui hoc dixerat, fieret conturbatus, quoniam ipsis est ille tumor sanandus doloribus c). Quare idem S. Pater alibi S. Cyprianum laudat docentem: omnia quæ ad mores nostros pertinent, quibus recte vivimus, a Patre nostro, qui in cælis est, esse poscenda, ne de libero præsumentes arbitrio a divina gratia excidamus d), a qua alienum esse affirmat S. Ambrosius, qui aliquid de plenitudine ejus diffusetur, quasi homo auxilio Dei in quadam actionum suarum parte egeat, in quadam

X

autem

a) Serm. I. in Psalm. 90. b) Epist. 89. ad Hilar. c) Lib. de nat. & grat. Cap. 27. d) Epist. 47.



autem non egeat: sitque nullum tempus, nullumque momentum, quod perniciosum illi esse non possit (puta aut pravi finis interventu, aut rectæ intentionis defectu) si ab eo Spiritus sanctus defuerit a). Porro vivificans ille spiritus attrahitur per studium orationis, quam virtualiter continuam esse debere ostendimus in Tractatu de officio hominis erga Deum b). Unde juxta eundem Ambrosium: impense, & frequenter monuit (Christus) orandum; non ut fastidiosa continetur oratio, sed ut (virtualiter) assidua frequenter effundatur c). In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus motibusque adjutor, & protector orandus est: superbum enim est, ut quiddam sibi humana natura præsumat. Ita agebat olim Cœlestinus Pp. Epist. ad Episcopos Galliæ d). Quibus verbis profecto non vult Pontifex eum Massalianis soli orationi vacandum; sed contendit solum orationem omnibus nostris consiliis, & operibus quam creberrime præmittendam; ita quidem, ut juxta S. Benedicti monitum in Prologo S. Regulæ, quid, quid agendum inchoas bonum, a Deo perfici instantissima oratione deposcas. *)

§. CCXXI.

- a) Epist. 84. b) Part. II. Cap. I. Vid. etiam notam ad §. X. c) Lib. I. de Abel, & Cain Cap 6. d) Epist. I. contra Massalientes scripta, cujus testimonio utitur Innocent. I ad PP. Concilii Milevit. quæ est inter Epistolas S. Augustini 93.

*) Opportune notat *Calmetus* in Commentario suo in Regulam S. P. Benedicti: cavendum esse, ne quis sequiore sensu hæc verba intelligat, quasi ex nobis ipsis, vel bonum inchoare, vel corda nostra, ut idem S. Pater ait, sanctæ præceptorum obedientiæ præparare possimus. Nam quamvis S. P. Benedictus magnam suæ Regulæ partem ex *Cassiani* institutionibus desumpserit: quia tamen sciebat celebrem hunc Monachorum Institutorem haud satis sibi a Semipelagianorum erroribus cavisse; ideo ne hujus

§. CCXXI. *Corollar. III.* Ergo, si cum timore & tremore salutem operari oportet, falsa prorsus spe deludi convincuntur, qui curam salutis, & conversionem suam differunt aliquando usque ad mortis articulum, ut interim liberius peccent. In quo enim confidunt illi? An in firma, quam sentiunt, voluntate faciendi quandoque, quidquid in se est? At constat ex dictis, quod nemo unquam sine gratia totas vires sic adhibiturus sit. An non peccator totas exerere vires debet, ut jugum cupiditatis, quæ ipsi dominatur, excutiat, ut vitia inverteratæ consuetudinis, quibus constrictus est, debellet, ut pietas palato male affecto ingrata suavis fiat, ut cor adaperiat ad Deum extrema supplicia minitantem, & ideo minus placentem, plus quam se ipsum diligat? Nam ex S. Bernardo: *Qui non placet Deo, non potest illi placere Deus, nisi præveniatur gratiæ suavitate.* Qui sentit ista sibi nunc videri impossibilia, an facilius præstiturus est, cum vis morbi, & acutissimi dolores sensum deprimunt; cum timor febris magis accendendæ, & mortis accersendæ præ nimia animi contentione, avocabit ab omni cura & solitudine?

X 2

Sed

quid hujus in se vitii admisisse videretur, data quavis occasione sedulo in id incumbit, ut & gratiæ vim, ac efficaciam adstruat, & humanæ naturæ imbecillitatem, divinique ad omne opus bonum adjutorii necessitatem palam contestetur. Quo circa mentem suam infra explicans ait: *Timentes Dominum, de bona observantia sua non se reddunt elatos; sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Et C. 4. de Instrumentis honorum operum ait. *Bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, non sibi; malum vero semper a se factum sciat, & sibi repute.* En! ut diligenter caveat S. Benedictus, ne quis Alumnorum suorum in Pelagianorum, aut Semipelagianorum errores impingat, quorum illi honorum operum, hi autem fidei initium viribus naturæ tribuebant.



Sed demus, quod facturus sit, quidquid in se est; quid ad peccatorum remissionem & justificationem heroicus ille voluntatis conatus; cum habere nequeat rationem dispositionis, aut conditionis sine qua non, nisi sit a Spiritu sancto supernaturaliter movente? Absit ergo, ut confidat in naturali voluntatis affectu, quo æternam damnationem summe exhorret; spes ejus sola Dei misericordia nitatur, necesse est. Sed unde illam sibi polliceatur? An quia, sicut Apostolus ignorans fecit, ipse toties vocatus, toties monitus, & semper rebellis? An potius, quia Deus peccatori, nullo excepto, promissit, quod in quacunque die, etiamsi extrema, conversus fuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabitur? At promissio illa datur sub conditione, *si conversus fuerit, si pœnitentiam egerit.* Ubi autem exstat promissio, quod in quacunque die etiam extrema, Deus daturus sit gratiam, sine qua, ut fides catholica docet, adultus nec vere converti, nec pœnitentiam agere potest? Tantum enim abest, ut exstat hujusmodi promissio, ut potius Deus sæpissime minetur, se non auditurum clamantes ad se, qui illum vocantem obaudire respuerint. *Iuste enim hæc animadversione plebitur peccator, præsertim usque ad mortem pœnitentiam differens, ut qui noluit pœnitere, cum potuit, non possit, cum voluerit, inquit S. Augustinus.*

Verum supponamus, quod pro certo asserere non possumus, Deum in quacunque die peccatori daturum gratiam, qua quidquid in se est, agere possit ad justificationem consequendam; aliud tamen fiduciam peccatoris elevabit; nempe ex sanioris Theologiæ principiis constat, gratiam sine miraculo non repente, sed successive dumtaxat ad justificationem disponere; quemadmodum nec in ordine naturali remedia salutem corporis subito operantur. Peccator ergo, qui hodie cor suum obduat contra vocem Domini, sperans se in extre-
mis



mis gratia Dei repente convertendum, vana spe deluditur, non secus, ac infirmus, qui spretis salutaribus, & necessariis remediis, mori eligeret hac fiducia, quod illum Deus, sicut Lazarum, & plures alios statim a mortuis revocaret. Subita enim peccatoris immutatio majus miraculum est, quam mortuorum resurrectio: quia præterquam, quod sit contra consuetum operandi modum gratiæ, magis excedit vires naturæ. Ita ex S. Thoma egregie differit piissimus Habertus a).

§. CCXXII. *Corollar. IV.* Ergo duo sunt velut cardines, in quibus tota vitæ christianæ œconomia vertitur: conscientia, seu agnitio propriæ infirmitatis, ut homo nihil de suo naturæ bono, propriisque præsumat viribus. Deinde fiducia in Dei adjutorio, ut totum Deo tribuat, & cum Apostolo fidenter dicat: *omnia possum in eo, qui me confortat* b). Hinc audeat, & animo erigatur; illinc timeat, vigilet & oret. Sicut enim juxta Concilii Trid. doctrinam, *nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum se ipsum suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest* c). Nec est, cur animum quis propterea ab orando despondeat, quod, uti diximus, certo scire nequeat, an oratio sua procedat a Spiritu sancto, consequenter an Deo grata sit, & accepta? Quamvis enim confidere non possumus orationes nostras procedere a Spiritu sancto spectata imbecillitate & indispositione propria; confidere tamen tuto possumus spectata promissione divina. *Securi ergo de pollicitatione ipsius, non deficiamus orando*, inquit Augustinus. *Cum videris*
non

a) Tract. de grat. Cap. 4. §. 7. Huc etiam faciunt, quæ habentur ad finem §. 6. ejusdem Cap. b) Philip. 4. c) Sess. 6. Cap. 9.



non a te remotam deprecationem tuam securus esto: quia non est a te amota misericordia ejus a). Debemus ergo sperare, ut monet S. Thomas, quia Deus fidelis est; non autem videretur esse fidelis, si nos vocaret in societatem filii, & nobis negaret, quantum in ipso est, ea, per qua ad ipsum pervenire possimus. b)

Cui soli honor & gloria c):

- a) In Psal. 65. b) Lect. I. in Cap. I. Epist. I. ad Corinth.
c) I. Tim. I. v. 7.



E r r a t a.

<i>Pag.</i>	<i>linea</i>		<i>lege</i>
17 —	5 a fine	omnium,	omnino.
19 —	15	petrios,	peritos.
19 —	16	Scriptoris,	Scriptoris.
29 —	8	Patre,	Patres.
47 —	6	Cælestinus,	Cælestius.
111 —	9	§. LXXX,	§. LXXXIV.
113 —	14	sufficientes,	insufficientes.
155 —	17	moris,	Mosis.
166 —	17	adeo,	a Deo.
167 —	4	quod,	quo.
221 —	17	aliqui,	aliquid.
222 —	2	argumenta,	augmenta.
237 —	ultima	clerico,	Clerico.
240 —	12	novorum,	novum.
242 —	10	Augustino,	Augustino est.
253 —	8	perseverare posse,	perseverare non posse.
262 —	1	potius id,	potius ad id.
262 —	6 a fine	perinde,	proinde.
265 —	10	§. CXXX.	§. CLXXX.
271 —	5 a fine	qui,	quia.
283 —	21	vel secundum,	quæ secundum.
291 —	20	æternus,	externus.
297 —	11	ad operæ,	ad opera.
298 —	21	regula,	regulas.
303 —	20	expressus,	expressius.
313 —	8	quippe	quique.
318 —	7	§. CXCIV.	§. CXCVI.
318 —	14	littera a) omissenda.	Ad litteram b) per-
		tinet nota sub littera a). In pagina vero 319, ad litteram a)	tinet nota sub littera a). In pagina vero 319, ad litteram a)
		pertinet nota sub littera b) præcedentis paginæ; ad litteram b)	pertinet nota sub littera b) præcedentis paginæ; ad litteram b)
		autem pertinet nota sub littera a) paginæ 319, & post verba:	autem pertinet nota sub littera a) paginæ 319, & post verba:
		discutiat eam, pertinet nota sub littera b).	discutiat eam, pertinet nota sub littera b).

Index

1	1	1
2	2	2
3	3	3
4	4	4
5	5	5
6	6	6
7	7	7
8	8	8
9	9	9
10	10	10
11	11	11
12	12	12
13	13	13
14	14	14
15	15	15
16	16	16
17	17	17
18	18	18
19	19	19
20	20	20
21	21	21
22	22	22
23	23	23
24	24	24
25	25	25
26	26	26
27	27	27
28	28	28
29	29	29
30	30	30
31	31	31
32	32	32
33	33	33
34	34	34
35	35	35
36	36	36
37	37	37
38	38	38
39	39	39
40	40	40
41	41	41
42	42	42
43	43	43
44	44	44
45	45	45
46	46	46
47	47	47
48	48	48
49	49	49
50	50	50
51	51	51
52	52	52
53	53	53
54	54	54
55	55	55
56	56	56
57	57	57
58	58	58
59	59	59
60	60	60
61	61	61
62	62	62
63	63	63
64	64	64
65	65	65
66	66	66
67	67	67
68	68	68
69	69	69
70	70	70
71	71	71
72	72	72
73	73	73
74	74	74
75	75	75
76	76	76
77	77	77
78	78	78
79	79	79
80	80	80
81	81	81
82	82	82
83	83	83
84	84	84
85	85	85
86	86	86
87	87	87
88	88	88
89	89	89
90	90	90
91	91	91
92	92	92
93	93	93
94	94	94
95	95	95
96	96	96
97	97	97
98	98	98
99	99	99
100	100	100

1.) Iudicium theol. catholicum de libro cui titulus: Opuscula de
deobris et uno autore Oehms. Moguntiae 1789. —

2.) Serpentes errores contra infallibilitatem ecclesiae coleri p. de contr. l.
1798. —

3.) Ant. Frenzel. Num dogma catholicum est, matrimonii vinculum inter
duos conjuges nullo in casu solvi posse? ed. Dorae. Vratislaviae 1818.

4.) Jacobi Chmel. Apologia doctrinae cath. de morali hominum impotencia
et. Pragae 1794. —

(3. Cl. 1836.

7.)

